ICHNOGRAPHIA
DOCTRINÆ
DE
Juſtificatione,
Secundum Typum in MONTE.

Delineata Penicillo *CAROLI GATAKERI*,
Eccleſiæ in *M. Britanniâ* alumni.

Lib: Theol: Lincolniensis ex dono Authoris

B. Apoſtolus *Paulus* ad *Rom.* cap. 1. v. 16, 17.

Οὐκ ἐπαισχύνομαι τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ· δύναμις γὰρ Θεοῦ ἐστιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι·

Δικαιοσύνη γὰρ Θεοῦ ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται, ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, καθὼς γέγραπται. Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

Abak. *c.* 2. *v.* 4. *ſecundum Interpret.* Græcanicos,

Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται.

Secundum Hebræum *textum* Aria. Mont. *Interpret.*
Juſtus in Fide ſua vivet.

S. Paulus *ad* Galat. 3. 11.

Ὅτι δὲ ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται παρὰ τῷ Θεῷ δῆλον, ὅτι ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

LONDINI:
Typis *J. C.* Proſtantqe venales apud *H. Brome*, apud inſigne Bombardæ in Cœmiterio S. *Pauli.* 1681.

Viris Clariſſimis,

Qi in Eccleſiis ubivis Gentium Reformationis nomine geſtientibus Sacram Theologiam profitentur, aut Sacrarum Literarum ſtudio ſeſe dedunt, S. P.

NEqe mirum, neqe ingratum Vobis ſit, Vir Clariſſimi, vel qòd ego Britannus ab Orbe toto diviſus, ſed Eccleſiæ Catholicæ Fidei, & Charitatis vinculis arctiſſimè conjunctus, hanc Diatriben de Juſtificatione, qam in Linguâ toti Reipublicæ Literariæ communi conſultò concinnavi, ut peregrè profecta domi, foríſqe fatum ſuum experiretur, exterarum gentium Theologis potiſſimùm nuncupaverim: vel qod Chriſti Miniſtrorum minimus, & illo titulo planè indignus, qaſi ſtudio veſtro dignum qicqam vobis offerre auſim. Chriſtus enim in Eccleſiâ Miniſtros inſtituit, qaſi Stellas, qarum aliæ ab aliis & lucis ſplendore, & loci ſtatione differunt, ut omnes ſuas operas ſecundùm menſuram donationis Chriſti contribuunt, ad Sanctorum καταρτισμὸν, ut totum corpus in Fidei unitate ædificetur, & in charitate augmento Dei creſcat. Lucernula nulla eſt modio tegenda, ſed ad domum Dei illuminandam commodè ſtatuenda. Sæpè etiam uſu venit, ut unus cereus exiguus Lampades multas & præluſtres accendendo adhibeatur. Qodſi ſcintillam veritatis vel unam cineribus preſſam, & delitiſcentem, eruero, qæ amotis involucris ſuo ſplendebit lumine, operæ meæ non pœnitebit. Conſilii autem mei rationem dabo, ſi exorare hujus ἀδεκαστολογίαν veniam poſſim. Ego qidem Deo natales meos, & vitæ curſum, gratioſè diſponente, in Eccleſiâ *M. Britanniæ* gremio natus fui, qæ inter omnes Eccleſias Reformatas Eph. 4. 7, 12, 13, 16.

diu ſplenduit, velut inter ignes Luna minores. Qando Deus verbo ſuo lucem multiplicem è Papiſmi barbarie & tenebris emicare juſſit, mirando animorum impetu multæ gentes ad repurgandas Eccleſiæ corruptelas ſeſe accinxerunt, ſed non omnes eodem ordine proceſſerunt. Fœlicitas ſingularis à Deo *M. Britanniæ* indulta fuit, qod ejus Principes auguſtiſſimi *Ezekiæ* & *Joſiæ*, qos in Throno *Davidis* Deus collocaverat, non modò exemplo exciti, ſed etiam Authoritate pari muniti, utpote qi ſint *Davidis* ſemen ſpirituale, Reformationis fuerint Authores, qam ſecundum Sacras Scripturas, Religionis unicam normam ἀψευδῆ καὶ ἀδιάφθορον, ſacrorum Antiſtitum conſilio, populo conſentiente in ordine & decenter peragerunt, paleam à tritico ſeparantes, ſed Eccleſiæ priſcæ puræqe ritibus qibuſdam retentis. Hîc à teneris annis Scripturis Sacris innutritus fui, & Doctrinâ, qæ Legibus Regni noſtri ſanctis incorporatur, imbutus fui, &
2 Tim. 1.13. ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων ab Eccleſiâ traditam conſervavi; Speciatim de Juſtificatione, Religionis Articulum noſtrum undecimum, qi reverâ in B. Apoſtoli *Pauli* ſententiâ fundatur, & in Homiliis de Salute ſecundum Sancti *Pauli* verba exponitur, hactenus aſſerui, qem à Reformationis primordiis, omnes noſtri Præſules, Profeſſores, Paſtoréſqe conſenſu unanimi centum annis & ampliùs acriter propugnarunt, nil niſi Juſtificationem ex Fide ſine Operibus, Cathedræ & Pulpita intonue-
1 Tim. 6.20. runt. Hoc Depoſitum pulcrum fide integrâ non potuit
2 Tim. 1.14. perdi, aut projici. Juſtificationem à peccato ſiqis è ſuggeſtu in Academiis noſtris tribuiſſet, aures nullorum patienter tuliſſent, & Rectores in jus Concionatorem vocaſſent ob καινοτομίαν. At circiter annos retrò qadraginta παρεφθαδὸς qædam in Eccleſiâ noſtrâ puppullularunt: Viri qidam exorti ſunt, ut qod eorum eſt fatear, eruditione & omnibus aliis dotibus ornati, qæ ad fidem ſuæ doctrinæ conciliandum conducerent. Hos faſtidium cepit

cepit Doctrinæ, qam ipſi malè intellexere, ideóqe uti pietati & bonis operibus inimicam reſpuere, atqe tanqam ſaluti æternæ pernicioſam traduxere. Paulò pòſt Regni noſtri diſſidia feralia ingruerunt, qæ Monarchiam & Hierarchiam noſtras ſimul ſubvertere moliebantur, qæ politiæ hujus gentis adeò altè & arctè inſeruntur, ut ſimul & floreant & marceſcant. Vineæ autem Domini maceriâ diruptâ, beſtiis agreſtibus & feris ſylveſtribus, Hæreticis & Sacrilegis, ipſa vinea in prædam cedere periclitata fuit, & niſi Deus ſupremus ejus cuſtos ejus vaſtationem prævertiſſet, ſtirpitus interiiſſet. Qando Prophetæ à ſedibus ſuis deturbati fuêre, qibus, ſecundum Canonem Apoſtolicum, & morem populi Dei priſcum, Prophetas ſubjici oportuit, Prophetandi licentia omnium errorum colluviei aditum patefecit. Doctrina autem de Juſtificatione præ aliis fuit ſolicitata, & in varias formas ſecundum cujuſqe ingenium novitatis ſtudioſum effigiata. Alii *Juſtificationi* ſuum ſenſum à communi verbi uſu diverſum affinxere. *Fides* in ſeptuaginta pœnè facies transformata fuit. *Opera*, qibus B. *Paulus* Juſtificationem derogat, diſtinctionibus multiplicatis fuere in neſcio qot genera diviſa. Qidam Opera Fidei ſubordinarunt, alii coordinarunt, alii Operibus primas partes detulerunt. Hinc evenit, ut veritas qæ eſt una, & ſimplex, & à B. Apoſtolo *Paulo* Solis radio deſcripta, inter tot Sententias, qæ ſingulorum capitum fuere fœtus amitteretur. Supremo autem mundi Rectori, & Eccleſiæ ſuæ Conſervatori, placuit Lampadem, qam inextinctam uncto ſuo *Davidi* reſervaverat, ſupra omnem fidem humanam, ſine armis, præliis, incendiis, & veſtibus ſanguine involutis, Regem noſtrum Auguſtiſſimum, Invictum, ſolo ſuo Natali, & ſolio hæreditario reſtituere. Rex in *Angliâ* non moritur: Et Rege incolumi ſunt omnia ſalva. Regnum ſub belluæ multicipitis tyrannide, & deinde ſub Pſeudomonarchæ dominio lubrico &

1 Cor. 14.32. v. 1 Sam. 19. 28. 2 Reg. 2. 15.

in

in arenâ fundato, & tandem ſub Stratocratiâ huc & illuc fluitante oppreſſum jacuit, ſed non interiit. Qando verò Sapientia Dei æterna, per qam Reges regnant, ſuum λειτυργὸν reducem in pace genti reſtituit, & Monarchiam ex profundis emergentem pulcriorem, & poſt procellarum jactationem firmiorem reſtabilivit, Eccleſiam etiam qæ in pulvere ſedit erexit, ut excuſſo pulvere clarior reſplenderet. Verùm *Si qa manent ſceleris veſtigia priſci*, & luci qam expectavimus obſcuritas intermixta ſit, id gentis noſtræ nondum reformatæ, neqe in afflictionis fornace ſatis repurgatæ, neqe miſericordiarum miraculis emollitæ perverſitati dandum eſt. Hinc fit, ut Diſſenſiones & Schiſmata, Satanâ illis fomitem ſubminiſtrante, nondum ſanentur, & hæc de Juſtificatione Controverſia, contemptâ Eccleſiæ noſtræ authoritate, cum æſtu agitetur. Id verò qibuſdam bilem potiſſimùm movet, qod non modò illi, qi ab Eccleſiâ noſtrâ ſemet ſeparárunt, ſed etiam qidam ſe Filios Eccleſiæ *Anglicæ* appellitantes, doctrinam Matris ſuæ apertâ fronte & verbis diſertiſſimis abnegent, qaſi Lupæ Romanæ, vel Synagogæ extraneæ cujuſpiam ubera ſuxiſſent. Verùm Deo gratias immortales nos Deo reddere oportet, qod Portas Inferorum nondum ſiverit adverſus Eccleſiam noſtram in Fide Chriſti, cujus Obedientiâ, & non ex Operibus noſtris, juſti conſtituimur, fundatam prævalere. Qamdiu etiam Rex noſter Sereniſſimus eodem jure, qo olim *Conſtantinus M.* Imper. Fidei Defenſor cluit, ſub cujus auſpiciis Doctrina & Religio Apoſtolica floret, ſpero hanc noſtræ Religionis Articulis certis conſignatæ partem ἀφιερώσιν, qâ qaſi charactere à Pontificiis diſtinguimur, à vineæ Dominicæ cultoribus & cuſtodibus à corruptelis indelibatam, & ab injuriis Authoritatis præſidio fore munitam. Hoc jam Vos Viri Clariſſimi reſciſcere velim, ut neqis veſtrum ardelionum qorundam, qi doctrinæ diu rei probatæ monſtrum adornarunt,

adornarunt, & in theatrum mundi cum pompâ deduxerunt, audaciâ inducatur, ut credat, Eccleſiam totam *M. Britanniæ* à priſcâ Fide deſciviſſe. Ob hanc rationem, & non qia domi mihi defuerunt Viri illuſtres, à qibus Diatribæ hujus patrocinium ſi expetere libuiſſet, non fruſtrà expectaſſem, illam peregrè fovendam miſi. Deniqe Parens meus *Thomas Gataker* b. m. multis abhinc annis animadvertit, Doctrinam de Juſtificatione ab exteris Theologis fuiſſe ſupervacaneis Controverſiis multis intricatam, & veritatem ipſam harum veprium perplexitatibus captivam qodammodo detentam, unde Contentiones acres exortæ ſunt, inter qoſdam nimis fervidè agitatæ, ad Pacis perinde atqe Veritatis diſpendium. Ille ſtudioſorum peregrinorum gratiâ, qi ejus hoſpitio tunc uſi fuêre, Moderatoris officium privatim in ſe ſuſcepit, & litem inter *Piſcatorem* & *Lucium* componere anniſus eſt: Succeſſu optato qidem non gaviſus fuit, qoniam ſolenne eſt, pleriſqe ingenii ſui fœtus amare, & abdicare ægrum videtur. Porrò obſervavit multos in conciliando ſibi invicem Apoſtolos S. *Paulum* & S. *Jacobum*, qorum ſermones de Juſtificatione ἐναντιοφανείας umbram præ ſe ferre videntur, perperam deſudaſſe; ideóqe viam ab illis omnibus non obſervatam iniit, & adhibitâ rei diſqiſitione diligenti Scripturam Scripturæ interpretem ſibi fecit. Jam qia temporis fluvio multa Scripta ſolida & pretioſa interdùm abſorbentur, & uſui humano ſubtrahuntur, qando leves ſtipulæ & qiſqiliæ in ſuperficie amnis fluitant, & ad poſteros derivantur, (utì Comes *Verolamii* obſervavit) ideo Parentis mei ſententiam, qam non propter relationem privatam, ſed ob rationem Sacræ Scripturæ congruam, qæ eſt Dos Dei generi humano communis, amplexs ſui, ab oblivione redimere pro viribus conatus ſui, & in hanc diſſertatiunculam, prout materia popoſcit, inſerui. Apoſtolus *Paulus* ſuis diſcipulis à Deo apprecatur, Sapientiam & Col. 1. 9. & 2. 2.

Intel-

Intelligentiam ſpiritualem, & omnes divitias τῆς πληροφορίας τῆς συνεσέως in agnitione myſterii Dei. Charitas me credere inducit, qod omnes, qi res ſacras ſeriò tractant, hujus πληροφορίας compotes ſe eſſe credunt. At cùm ἐν τὸ ἀληθὲς, πολυχειδὲς τὸ ψεῦδος ſit, unus ſolus (ſi ullus, nam interdum omnes à ſe invicem diſſentientes hallucinari eſt poſſibile) hanc gemmam reperit, qando alii ab aliis in divortia abeunt. Mihi igitur fraudi non ſit, qòd etſi humanum patiar, mentiri tamen nolo, & qod veritatis mihi allucentis vi victus, ex animo profiteor, aliis ob commune fratrum meorum beneficium impertior. Mors, qæ mihi in proſpectu propè adeſt, (tabernaculum enim meum terrenum nuperrimè qaſſatum eſt) monet me, & bonum, dum opportunitatem habeo, erga omnes operari, & nil niſi qod verum mihi videtur proloqi. Hoc igitur qicqid eſt vobis Viri Clariſſimi, perinde atqe noſtratibus Theologis, æqo jure tanqam moribundi Legatum nuncupi, qod penes vos erit pro libitu vel accipere, vel inſuper habere. Judicio libero, & animo εὐγνώμονι utimini. Qodſiqa hinc veritatis ſcintilla cuiqam emicuerit, Deo Patri luminum detur Gloria in æternum. *Amen.*

Gal. 6. 10.

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo Projiciuntur, & eripitur per ſona manet res.

Juſtificationis ex Fide ſolummodò Irriſori, & Arroſori:

Rode Caper vitem, tamen hinc cum ſtabis ad aram,
In tua qod fundi cornua poſſit, erit. Ovid.

ICHNO-

ELENCHUS SECTIONUM.

SECTIO PRIMA.

NOminis Explicatio. Juſtifico, vocabulum Juridicum. Non juſtum facere, ſed juſtum cenſere, probare, judicare denotat, Pag. 1.

SECTIO 2.

Deſcriptio Rei. Juſtificatio præſupponit 1°. qæſtionem de perſonæ integritate, aut defectu. 2°. Perſonæ innocentiam. Juſtificatio vera & licita, eſt defenſio aut abſolutio perſonæ à vitio, aut delicto, de qo qæſtio movetur, vel lis illi intenditur. Qicqid ad Juſtificationem conducit qomodo libet, illi Juſtificatio attribuitur. Juſtificatio Judicis ſemper eſt actus Juſtitiæ, qæ jus ſuum cuiqe tribuit. pag. 2.

SECTIO 3.

Deus juſtificatur: qando ejus Sapientia, Sanctitas, Juſtitia, Veritas, &c. *à ſiniſtris hominum opinionibus, & iniqis cenſuris, & blaſphemiis vindicantur.* pag. 3.

SECTIO 4.

Deus juſtificat hominem ſecundum hominis Juſtitiam. Hominis Juſtitia eſt conformitas Legi Dei. Lex duplex;

Operum, & Fidei. Inde Juſtitia 2ª; *una hominis integri, altera hominis lapſi. Et inde Juſtificatio duplex;* Adami *integri, per obedientiam ſuam: Lapſi, per obedientiam Chriſti, & Fidem illi ſubordinatam.* pag. 4.

SECTIO 5.

Quæſtiones duæ à S. Paulo *propoſitæ & determinatæ.* 1°. *Quamobrem Legi Primigeniæ Lex* Moſaica *adjecta fuerit.* 2°. *Quare fœderi Gratiæ cum* Abrahamo *inito fœdus* Sinaicum *ſuperinductum fuerit.* pag. 7.

SECTIO 6.

Juſtitia hominis 2ª. *ſecundum Legis partes duas; Mandatum & Sanctionem. Primaria fundatur in Obedientiâ. Secundaria fundatur in Satisfactione pro tranſgreſſione Legis. Peccator omnis eſt impotens per ſeipſum divinæ Juſtitiæ Satisfactionem termino certo concluſam rependere. Deus adinvenit rationem, quâ hominis filius pro fratribus ſatisfactionem Deo præſtiterit,* pag. 9.

SECTIO 7.

Chriſtus Mediator & Sponſor Novi Fœderis hanc ſatisfactionem Deo præſtare ultrò in ſe recepit. Fœdus Gratiæ tripartitum, inter Deum Patrem, Filium Dei, & Humanum genus. Sponſio Chriſti fundamentum illius Satisfactionis. Satisfactio fit, non ſolùm per Idem, ſed etiam per Tantundem repenſum. Chriſti Satisfactio adæqata peccato mundi, ideóqe plenaria. Analoga etiam fuit & hominis peccato, & pœnæ ob peccatum debitæ, pag. 12.

SECTIO

SECTIO 8.

Satisfactionis Christi materia. Christus incarnandus Legem Mediatoris officio peculiarem accepit. Incarnatus, Legi humani generis communi fuit subditus. Christi neque puritas personalis, neque Obedientia Legi Naturæ præstita, fuit pro nostris delictis satisfactoria: Sed Obedientia Patri in servili statu secundum mandatum Mediatori datum, usque ad mortem Crucis, præstita. Oblatio in mortem cruentam subeundo, Obedientiæ coronis. Sanguini, in qo vita, propitiatio tribuitur. Sanguis Christi, anima, vita, nostri λύτρον. *Ipse Christus crucifixus,* λυτρωτὴς & ἀντίλυτρον. pag. 20.

SECTIO 9.

Satisfactionis Christi ratio formalis. Per Christi Obedientiam in seipso ad Mortem Crucis humiliando tantum gloriæ Deo accedit, qantum illius honori peccatum mundi detraxit, pag. 22.

SECTIO 10.

Gratiæ & Justitiæ concordia in Justificatione peccatoris per Christi Obedientiam. Gratis justificamur, respectu nostri, non respectu Christi, qi pretio justo nos redemit. Gratiæ multiplex per totum Justificationis consilium & opus profluens. Pag. 23.

SECTIO 11.

Christi Satisfactionis fructus. Primus, Justificatio Christi Capitis: Secundus, Justificatio Membrorum in

 ordine

ordine ſuo. Juſtificationis noſtræ certitudo pendet à Chriſti Reſurrectione. Juſtificatio quomodo differt à Remiſſione peccatorum. Status Gratiæ eſt ſtatus Juſtitiæ, pag. 25.

Sectio 12.

Juſtificatio eſt integra Abſolutio ab omnibus peccatis. Diſcrimen inter Juſtificationem & Sanctificationem. Nihil aliud in Chriſto requiritur ad nos juſtos faciendum, & vitæ æternæ capaces, quàm illud quod ab omni peccato & morte liberat. Opinio, quòd Chriſtus pro nobis, i. e. vice noſtrâ, Legem implevit, eſt Antinomiſmi *radix,* pag. 29.

Sectio 13.

Objectio duplex. 1. *Quare à morte redempti moriuntur? Reſp.* 1. *Mortis Chriſti fructus eſt ultimus, mortis hoſtis ultimi deſtructio. Reſp.* 2. *Mortis maledictio tollitur. Object.* 2. *Quare juſtificati Remiſſionem peccatorum petunt? Reſp.* 1. *Juſtificatio ad vitam æternam differt à Remiſſione peccatorum. Reſp.* 2. *Filii Dei à Judicis condemnatione liberati, Patris ſui iram deprecantur. Reſp.* 3. *Priſtinorum peccatorum memoria hoc poſtulat. Reſp.* 4. *Filius Dei ſtatu gratiæ non excidit, ſed in peccatum lapſus pœnitentiæ & fidei exercitio novo recuperatur.* David, Petrus *hujus rei teſtes,* pag. 32.

Sectio 14.

Medium Juſtificationis ex parte hominis, Fides. Apoſtoli concluſio duplex. 1. *Affirmativa. Juſtificamur ex Fide.*

Fide. Objectum Fidei; Proximum, Christus Jesus crucifixus: Remotum, Deus: vel Promissio Evangelica. Actus Fidei peculiaris, Fiducia in Christo & Deo per Christum. Modus, qo Fide in Christum justificamur. Fide Christo Adamo *inserimur, & justitiæ per illum secundum Dei institutum compotes simus; ejus sacrificii expiatorii virtutem accipimus Analogia Fidei qid sit.* p. 38.

Sectio 15.

Apostoli Conclusionis pars secunda, Negativa. Non ex Operibus justificamur. Fides opponitur Operibus in Justificatione, sicut Gratia opponitur Operibus in Electione, Salute, Vocatione, & Justificatione. Object. Opera bona sunt ad salutem necessaria. Resp. Ad salutis consummationem, non inchoationem. Justificatio ex Operibus repugnat Dei consilio de Gratiæ suæ in salute humanâ gloriam manifestando, qia homini in seipso gloriandi occasionem præbet, qam Justificatio ex Fide amputat. Discrimen inter Fœdus Operum & Fœdus Gratiæ. Utrumqe fidem poscit. Sed Fides in Christum gloriationem excludit hominis in seipso, qm fides integri hominis, qi ex obedientiâ suâ justificandus fuit, non excluisset. Fides est opus. Nihilominus, non justificamur ex Operibus. Obedientia Fidei. p. 47.

Sectio 16.

Opera qæ S. Paulus *à Justificatione peccatoris secludit.* Opera Legis *includunt omnia Opera Legis cujuslibet, qæ hominem lapsum peccati reum peragit. Status controversiæ alius in Epistolâ ad* Galatas *ab illo in Epistolâ ad* Romanos. *Hîc Opera Legis Naturæ, & Legis* Mosaïcæ,

&

& Abrahami *cum Deo per fœdus Gratiæ conjuncti opera ſecludit.* p. 52.

SECTIO 17.

Juſtificatio Profeſſoris Fidei, de qâ S. Jacobus *diſſerit,* cap. 2. v. 14, &c. *Fides profeſſoris exploratur. Fidei ſalutiferæ natura explicatur. Fides vera & vivida, qæ ad ſalutem prodeſt, & valet, ex operibus, tanqam arbor ex fructibus eſt manifeſtanda. Hoc modo Profeſſor, cujus Fides ſuſpecta fuit, juſtificabitur. Hoc modo Deus* Abrahami *fidem probavit, &* Abrahamum *examine peracto juſtificavit.* Rahab *itidem fidem opere celebri oſtendit.* Jacobus *non dicit* Abrahami *opera, qæ fidei vividæ fuere indicia, reputata illi ad juſtitiam fuiſſe; teſtimonium* Moſis, *prout* Paulus *etiam citat, credidit, & Fides illi reputata fuit ad Juſtitiam. Corpus halitu deſtitutum eſt cadaver, & Fides abſque Operibus eſt fidei cadaver. Deus ſuorum filiorum fidem ſæpè probat,* pag. 56.

SECTIO 18.

Juſtificatio hominis in caſu ſingulari. 1. *Quando qæritur, utrum homo ſons, an inſons, ſit criminis alicujus ſpecialis, cujus inſimulatur. Cauſſa* Jobi, Davidis, & *Apoſtoli* Pauli. 2. *Quando qæritur, utrum factum quodpiam ſingulare ſit licitum & juſtum necnon. Cauſſa* Phinehazi, pag. 60.

SECTIO 19.

Juſtificatio totius Gentis Judææ, *quando Deus populum ſuum è captivitate* Babylonicâ *ob Nomen ſuum, & non ob populi Juſtitiam, gratis abſqe pecuniâ ab illis impensâ*

ansâ redemit, Icon Juſtificationis noſtræ gratuitæ, pag. 66.

SECTIO 20.

Doctrina de Juſtificatione peccatoris gratuitâ per Fidem, abſque Operibus, non deſtruit Legem, ſed ſtabilit. Lex Fidei Legem Charitatis confirmat. Sanctio Legis Operum vim ſuam retinet, & per Chriſti Satisfactionem ſtabilitur. Moſis *& Prophetarum teſtimonia de Juſtitiâ Fidei & illuſtrantur, & confirmantur. Fides non deſtruxit Legem Judaicæ Politiæ coævam, & cum illâ deſituram. Legis Moſaïcæ partem typicam Fides perficit.* pag. 70.

ICHNOGRAPHIA
Doctrinæ de JUSTIFICATIONE
Secundum S. Scripturas.

§ 1.

INſtitutum, qod Dei ope imploratâ ſuſcipio, eſt Delineatio totius Doctrinæ de Juſtificatione, prout in S. Scripturis revelatur. A *Nomine* ad *Rem* eſt progrediendum. *Juſtifico* cum ejus conjugatis (uti etiam [a] *Magnifico*) eſt Latiniſmi declinantis vocabulum, cujus ſignificatum petendum non eſt ex partibus compoſitionis, ſed ab uſu, qem penes eſt & jus & norma loqendi. Itaqe ſenſus verbi diſcendus eſt, non in Scholâ Grammaticâ, ſed in Foro Juridico, vel etiam ex Sermone communi de judiciis privatis perinde atqe publicis. Hîc vero *Juſtificare* non eſt qempiam juſtum facere, juſtitiam animæ imprimendo, vel infundendo, vel qolibet modo impertiendo; ſed juſtum reputare, cenſere, aſſerere, & judicare.

Nominis explicatio.

[a] *B. Virgo Maria hymnum ſuum orditur,* Μεγαλύνει *Magnificat (ut vet. Interp. vertit) anima mea Dominum. Magnificare h. l. non ſignificat magnum facere, ſed magni facere.*

In re præ manibus, verbi Latini à S. Codicis interpretibus uſitati ſenſus eſt metiendus proximè Græci verbi uſu in S. Scripturâ, cujus vox Latina eſt ἀνάστασις, & ultimò vocabuli Hebræi ſenſu, qod Græci Scriptores Eccleſiaſtici Evangelio antiqiores reddiderunt δικαιῶν vel δικαιοῦσθαι. In N. T. δικαιοῦσθαι eſt analogum τῷ καινοῦσθαι vox cœleſtis, B. Petrum alloqta dixit, Qæ Deus mundavit, σὺ μὴ κοίνε, i. e. tu immundum ne cenſeto, vel vocato. Κοινὸν oppoſitum καθαρῷ eſt immundum, uti manus illotæ, ideoqe immundæ, vocantur κοιναὶ. Κοινοῦσθαι verò eſt κοινὸν ἡγεῖσθαι, ut Apoſtolus alia ex occaſione,

Act. 10. 14.

Mar. 7. 2, 5.

Heb. 10. 29. ne, loqitur. Pariter δικαιόω (activè ſumptum) eſt δικαιων-
Deut. 25. 1. γέω. Hebræum autem vocabulum in V. T. ſignificare
judicium unius de alterius juſtitiâ, ex eo patet, qòd con-
Prov. 17. 15. demnationi opponitur. Hoc vero extra dubitationis a-
leam poſito, notandum eſt Juſtificationem opponi modò
Act. 24. 1, 2, 10 Accuſationi actoris, & tunc vel ipſe reus, ut Paulus à Tertullo accuſatus, ſeipſum defendit, vel Advocatus juſtificat; vel condemnationi, & tunc reus Judicis ſententiâ juſtificatur.

§ 2. *Deſcriptio rei. Juſtificatio in genere qid ſit.*

Nominis explicatio Rem ipſam aliqatenus notam facit, dum ſignum cum Re ſignificatâ confert. Jam liqet, qod Juſtificare, prout vox communiter ſumitur, non eſt ſibi vel alteri juſtitiam indere, aut reſtituere, ſed cujuſpiam juſtitiam aſſerere, probare, tueri, & vindicare. Juſtificatio enim duo præſupponit. 1. Qæſtionem de perſonæ juſtitiâ moveri, utrum defectûs alicujus vitioſi, aut delicti ſons fuerit, an inſons. Niſi enim dubitatio aliqa oriatur, aut probatio inſtituatur, aut accuſatio intentetur, nulla erit juſtificationis ratio, aut occaſio. Juſtificatio eò differt à laudatione. Aliud enim eſt alicujus famam virtutis celebrare; aliud ejuſdem exiſtimationem ab infamiâ, vel
V. Eſa. 5. 23. etiam à culpæ ſuſpicione vindicare, aut abſolvere. 2. Juſtificatio licita & incorrupta perſonæ innocentiam præſupponit. Iniqè agit, qiſqis, inſontem vel criminis inſimulat, (nonum enim mandatum violat) vel damnat. (Judicium enim pervertit.) Hinc colligitur Juſtificationis in genere deſcriptio, Juſtificatio eſt abſolutio perſonæ à vitio, vel delicto, de qo qæſtio movetur, vel lis illi intenditur.

Cæterum non eſt prætereundum, qicqid modo qolibet conducit, aut ex uſu eſt, ad perſonæ juſtificationem, ſive abſolutionem à noxâ, promovendam, illi in ſuo ordine juſtificationem attribui; Qando de juſtificatione hominis agitur, 1. Lex vel juſtificat vel condemnat, qoniam eſt & norma juſtitiæ, index recti & obliqi; & regula Judicii. 2. Teſtimonia,

ſtimonia, ſive oralia, ſive realia, juſtificant, qoniam juſtitiæ ſunt argumenta. At aliter 3. Advocatus juſtificat, qi & legem & teſtimonia adhibet, & ad cauſſam applicat, ut crimen à reo amoliatur. Deniqe 4. Judex juſtificat, qando perſonæ coram tribunali juſtitiam cum authoritate declarat, & hominem à crimine abſolvit, & omnia juſtitiæ beneficia illi adjudicat. Itaqe Juſtificatio eſt actus Juſtitiæ, qæ ſuum cuiqe jus tribuit.

§ 3. *Deus juſtificatur.*

Pergo jam ad exempla juſtificationis varia, qæ in S. Scripturis occurrunt. Primo Deus ipſe, licet ſit mundi judex ſummus, in S. Scripturâ dicitur juſtificari. Juſtificationis eſt & capax, & certus. Qoniam homo, vel viarum Dei imperveſtigabilium imperitus, vel etiam malignè erga Deum affectus, opiniones de Deo ſtolidas, falſas, & iniqas ſæpè concipit, & providentiæ divinæ curſum ſiniſtrè interpretatur, & eò impietatis aſſurgit, ut Dei ſapientiam, ſanctitatem, & juſtitiam in qæſtionem vocet, & Deo litem intendere, ſi poſſet, vellet, ideo Deus gloriæ ſuæ zelotes, & vindex, ſed miſericors etiam & clemens humani generis rector, variis modis ſeipſum juſtificat. Gratioſè condeſcendit ad populum ſuum, ut ſinat pulverem & cinerem cum ipſo de judiciis ſuis arguere, & ipſe populum redarguat, & hominum ipſorum conſcientias appellet, de æqitate viarum ſuarum, & ipſorum viarum iniqitate. Qodſi peccator ratione ſuâ pravas de Deo opiniones non correxerit, Deus non argumentis, ſed judiciis ſanctitatem & juſtitiam ſuam vindicabit, uti legimus in Davide. Deus juſtificari dicitur, qando opiniones de Deo pravæ, qibus Dei honor imminuitur, refelluntur, & qaſi nubes gloriæ divinæ lumine coruſcante diſſipantur, & Dei ſapientia, ſanctitas, juſtitia, miſericordia & veritas, jam illuſtres, à cenſuris, aut ſuſpicionibus iniqis abſolvuntur. In N. Fœderis primordiis Deus miſit duos præcones, primo Jo. Baptiſtam Prodromum, & Jeſum

V. Jer. 12. 1. &c.

Ezek. 18. 25. & 33.

Pſal. 50. 21.

* *Conf.* Mat. 3. 2. 10. Act. 19. 4. *cum* Mar. 1. 3. 15. Mat. 7. 19. Chriſtum, qorum * doctrina fuit eadem, ſcil. pœnitentiæ & fidei, qoniam Regnum Dei prope fuit. At longè diſpar fuit eorum converſatio. Populi primores hanc Dei œconomiam variam in Evangelii primâ promotione non intellexerunt, & Dei ſapientiam traduxerunt. Chriſtus autem dixit Sapientiam (ſcil. Dei, qi omnia ſua opera ſapientiſſimè ordinat, & efficit, & in gratiæ diſpenſatione ſapientiam πολυποίκιλον explicat) non obſtante mundi, qi Deum & Chriſtum non novit, cenſurâ, juſtificatam fuiſſe à filiis ſapientiæ, hoc eſt, diſcipulis θεοδιδάκτοις. Deniqe œconomia divina, in Judæos incredulos ob Meſſiæ per reſurrectionem & Spiritus S. miſſionem manifeſtati rejectionem rejicendo, & gentes à populo Dei alienas vocando, atqe in corpus eccleſiæ inſerendo, qæ B. Apoſtolum in ecſtaſin rapuit, à Judæis non intellecta occaſionem præbuit qæſtiones movendi de Dei fidelitate, & gratiæ gentibus communicandæ libertate. Apoſtolus autem dicit Deum, ſi qando de his judicetur, certò victorem fore, & juſtificatum iri: Ipſe autem Spiritu Sancto plenus hujus œconomiæ arbitrariæ apologiam ob rationum vim plane divinam reverentiâ maximâ dignam concinnavit in Epiſtolæ ad Romanos, cap. 9. & 11.

Pſal. 104. 24. Eph. 3. 10. Mat. 11. 19. Luc. 7. 35. Rom. 11. 33. Rom. 3. 4. *ex* Pſal. 51. 4.

§ 4. *Juſtificatio hominis duplex; ſecundum duplicem & Legem & Juſtitiam.*

Deſcendo jam ad juſtificationem Hominis. Omnis Juſtificatio ſive Dei ſive Hominis, & qæcunqe ſit lis hominis intenta, ſive qodcunqe ſit τὸ κεκριμένον, qoad notionem, & naturam ejus generalem, eſt eadem, ſcil. abſolutio à culpâ, ſive noxâ. Nemo verò jure merito juſtificari poteſt, niſi juſtus ſit, omnis autem reâpſe juſtus in Dei curiâ rectus ſtabit, & à juſto mundi judice certò juſtificabitur. Cæterum diſpiciendum eſt, in qo Juſtitia humana conſiſtat. Jam lex Dei eſt norma juſtitiæ humanæ. Ubi nulla eſt lex, neqe peccatum ullum eſt, neqe imputatur. Peccatum enim eſt tranſgreſſio legis vice versâ, qia omnis homo eſt ἄνομος θεῷ, ideo juſtitia humana eſt totius hominis legi divinæ

Rom. 4. 15. & 5. 13. 1 Joh. 3. 4.

divinæ conformitas. Apoſtolus Paulus legis meminit duplicis, præter Legem, qæ genti Iſraëliticæ peculiaris fuit, & Moſis miniſterio populo data, qando Deus fœdus cum Iſraëlitis juxta montem Sinaicum pepigit. Unam vocat Legem operum; alteram Legem fidei. Hæ Leges vocantur fœdera, uti Dei inſtituta de creaturarum curſu naturali, perpetuo, & immutabili, niſi mundi conditori, qi rerum rector eſt, & naturæ habenas pro libitu flectit, viſum fuerit ordinem creaturarum ex parte aliqâ cohibere, vel mutare, vocantur Leges, Decreta, Statuta, & Fœdera. Utrobíqe Dominus creaturis ſuas ipſius leges impoſuit, neqe creaturarum conſenſum rogavit. Rom. 3. 27. Job 38. 10, 11. Prov. 8. 29. Jer. 5. 22. & 31. 35. & 33. 22. Gen. 9. 8. 17.

Lex operum Adamo integro connata, fuit, cordi inſcripta Dei digito, & charactere indelebili, cujus reliqiæ, licet obſcuratæ, etiamnum conſcientiæ impreſſæ ſuperſunt.

Lex fidei Adamo lapſo data fuit, qando Deus illi myſterium redemptionis, qod ex Dei merâ miſericordiâ dependit, revelavit, & ſacrificium cruentum Agni Dei, Chriſti ſcil. Redemptoris typum, inſtituit. Deus qidem in ſententiâ adverſus Satanam denunciatâ, prædixit. Semen mulieris naſciturum, qod Serpentis caput contriturum foret, Adamo adſtante & audiente, ſed ante ullam ſpem gratiæ protoplaſtis factam, præter qam illa implicita vitæ mulieris ſuppoſitio ſuggeſſit. Verum hæc non fuit Promiſſio Adamo data, neqe Lex fidei lata, neqe fœdus cum illo initum. Itaqe licet hiſtoria Moſis non narret qando, vel qomodo, Deus Novum fœdus gratiæ cum Adamo pepigit, Evangelii tamen Scriptores diſertè ſatis docuerunt legem fidei fuiſſe latam in ipſis Eccleſiæ primordiis, qæ in Chriſto unico mediatore, qaſi rupe fundata fuit, rupe, ſcil. ſeculorum, omnium generationum ab initio generis humani uſqe ad mundi conſummationem. Jeſus Chriſtus eſt heri & hodie idem, ſcil. Servator ſui corporis totius, i. e. Eccleſiæ, & in ſecula. Fides etiam in Chriſtum Redemptorem fuit Patriarchis utriuſqe ſeculi, Gen. 3. 15. Eſa. 26. 4. Heb. 13. 8.

&

Heb.11. 2,&c. & ante & poſt diluvium, viâ qâ juſtitiæ fuerunt hæredes. Hæc fidei Lex Abrahamo à gentium colluvie vocato ſpeciatim data fuit, per modum fœderis ſolennis, qod Deus Gal.3.17,18. multis ante fœdus Sinaicum ſeculis ſtabilivit per Chriſtum, & ad Gentes omnes (perinde atqe Judæos) in tempore præſtituto vocandas, pertinuit, & nunc extenditur.

Porro ex hâc ſive Lege, ſive Fœdere duplice, hominis Rom.10.5.11. juſtitia duplex oritur, uti Apoſtolus Paulus ex Moſis & Prophetarum ſcriptis oſtendit. 1. Juſtitia ex Lege operum fundatur in iſtâ ſententiâ Dei, Qi fecerit iſta, vivet in illis. 2. Juſtitia ex Lege fidei fundatur in hoc decreto, Qiſqis fidit in Chriſto, non confundetur, ſive ſervabitur. Rom.2.13. Utriuſqe legi commune eſt Apoſtoli Axioma, Non auditores legis (nempe Solummodo: hoc enim eſt ſubintelligendum, qod S. Jacobus expreſsè dixit) ſunt juſti apud Jac.1.22. Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. Obiter hoc notandum eſt, ex membris ſententiæ oppoſitis, qæ conciſa ſunt colligi, qod nemo, niſi ſit coram Deo juſtus, juſtificabitur. Etenim ſenſus verborum plenus eſt, Non auditores ἀκροαὶ legis juſtitiam habent coram Deo, cujus ratione juſtificabuntur, ſed factores legis juſti ſunt, & juſtificationem aſſeqentur.

Rom.5.19. Sub Lege primigeniâ Juſtitia hominis in ſuâ ipſius obedientiâ perpetuâ toti legi præſtitâ conſtitit. Secundum Legem adventitiam juſtitia peccatoris in Chriſti mediatoris obedientiâ uſqe ad mortem crucis, & in fide in hunc Agnum dei mactatum, conſtat. Hoc luculentèr docetur, Jer. 23. 6. qando Chriſtus hoc titulo inſignitur, *Dominus Juſtitia* 1 Cor. 1. 31. *noſtra*, & Jeſus Chriſtus crucifixus dicitur fieri nobis à *collato cum* c. 2. v. 2. Deo Juſtitia, & nos dicimur fieri Juſtitia Dei in Chriſto, 2 Cor. 5. 21. qi peccati inexpertus factus fuit pro nobis peccatum. Fidem autem juſtitiæ baſin eſſe per qam Chriſto rupi ſuperædificamur, loca pænè innumera teſtantur, in qibus Chriſtianus dicitur eſſe Juſtus ex fide, & Chriſtiani juſti-

tia

tia vocatur Juſtitia fidei, ex fide, per fidem, ſecundum fidem, & in fide Jeſu Chriſti. Illa Juſtitia Legalis, fuit ratio Juſtificationis hominis integri. Verum hâc per Adami tranſgreſſionem perditâ, Lex qæ data fuit ad vitam, facta fuit inſtrumentum convictionis, & condemnationis, & verſa eſt in miniſterium mortis. Hæc juſtitia Evangelica eſt ratio Juſtificandi hominis lapſi, qi per Chriſti obedientiam, & fidem illi ſubordinatam, ad juſtitiam & vitam reſtituitur. Apoſtolus autem in Epiſtolâ ad Romanos id ſatagit, ut cum duplex ſit Lex, & duplex Juſtitia, ut nervosè demonſtret, nullam carnem, neminem peccati reatu implicitum, & lege convictum, poſſe ex lege, vel ex operibus legis juſtificari, ſiqidem peccato omnes Dei gloriâ[1] deſtituantur, ſed qiſqis in Jeſum Chriſtum crediderit, ſive ſit Judæus, ſive Ethnicus, illum ex fide eſſe juſtum, & certiſſimo juſtificandum.

§ 5.

Quæ Lex Moſaica introducta fuerit.

Priuſqam progrediar ad Juſtitiæ Evangelicæ explicationem qeſtio nes duæ diſtinctæ, qas S. Paulus movit, & qibus diverſimodè, prout res popoſcit, reſpondit, ſunt conſiderandæ.

1. Quamobrem Legi primigeniæ adjecta.

1. In Epiſtolâ ad Romanos, cap. 5. poſtqam legem Adamo integro datam oſtendit regnaſſe ad mortem uſqe ad Moſen, qærit, qamobrem Lex Moſaica παρεισῆλθεν, ſuperingreſſa fuerit. Rationes duas reddit hujus œconomiæ divinæ. Rationem obviam omittit, ſcil. ut fræno duplici populi libido peccandi reſtringeretur, & qaſi duplicato func populus ad obedientiam adſtringeretur. Arcana potius conſilii divini revelat. 1. Docet Legem Moſaicam datam fuiſſe ob convictionis vim majorem, ut peccatum abundaret. Apoſtolus non voluit, Deum, legem mandatorum poſitivorum mole auctam conſultò dediſſe, ut peccatorum numerus augeretur, ſed ut peccatum per legem fieret, h. e. legis vi convictivâ manifeſtaretur eſſe ſupra modum peccatrix, uti Apoſtolus ſeipſum exponit alibi. Rom. 5. 20, 21. Rom. 7. 13.

2. Ut

2. Ut Deus gratiæ ſuæ ſuperabundanti viam ſterneret, ut ſicut peccatum regnavit ad mortem, ſic gratia regnaret [N.B.] per juſtitiam ad vitam æternam per Jeſum Chriſtum D. N. Hæc eſt ſtupenda Dei adminiſtratio judiciorum inſcrutabilium, qòd Deus omnia, i.e. totum humanum genus ſub peccato & ἀπειθείᾳ concluſerit, ut divitias ſuæ miſericordiæ omnibus credentibus communicaret, & gratiæ ſuæ gratuitæ gloria illuſtriſſimè ſplenderet.

Rom. 11. 32, 33. Gal. 3. 22.

2. *Quamobrem fœderi cum Abrahamo inito lex Moſis fuerit addita.* Gal. 3. 17, 19.

2. In Epiſtolâ ad Galatas qæſtio proponitur, qâ de cauſſâ Lex Moſaica addita fuerit Fœderi, qod Deus pepigit cum Abrahamo, virtute cujus totum ſemen Abrahami benedictionis in illo promiſſæ fuit hæres. Qantum inter hanc & priorem qæſtionem interſit, cuilibet non ſponte cæcutienti liqet. Apoſtolus reſponſum illi accommodatum reddit his verbis: Addita fuit Lex propter tranſgreſſiones, donec Semen illud advenerit, cui facta fuerat promiſſio. Eqidem nullus dubito Apoſtolum in animo habuiſſe vaticinium Patriarchæ Jacobi, Sceptrum non recedet à Judah, neqe Legiſlator ab intermedio pedum ejus, donec Shiloh advenerit, & ad illum erit aggregatio populi, non modo Judæorum, ſed etiam gentium, qæ ad vexillum illud erectum confluent. Deus ſtatuit Politiam Judaicam conſervatam fore uſqe ad Chriſti adventum, imò ad gentium vocationem. Apoſtolus igitur rationem reddit legis datæ, qæ non fuit æterna, uti * Evangelium eſt æternum, ſed politiæ illi qoad durationem commenſurata. Hæc limitatio lucem adhibet rationi, ſcil. Ob tranſgreſſiones, nimirum illas, qas populus legi illi ſubditus vel proclivis fuit admittere, vel ex occaſione qâlibet potuit in illas incidere, durante illâ politiâ. Lex igitur fuit partim προφυλακτικὴ, ad prævertendum peccata, ut populus Deo Sacratus à gentium malis moribus, & præcipuè à deorum fictitiorum, reverâ dæmoniorum, cultu, aut Dei veri ſecundum gentium ritus veneratione, eſſet immunis, & intaminatus: partim κολαστικὴ, ut qi peccata qædam, capitis ſupplicio

Gen. 49. 10.

Eſa. 11. 10.

* Apoc. 14. 6. 1 Pet. 1. 25.

ſupplicio non luenda, commiſerant, remedium ſibi paratum in legis parte rituali haberent. Crimina qædam, qæ Religionis fundamenta ſubvertebant, vel ſocietatis civilis nervos ſuccidebant, fuere reſpectu politiæ externæ irremiſſibilia. Aliis Sacrificia propitiatoria aſſignata fuere, in qibus Chriſti ſanguis, qi nos ab omni peccato mundat, fuit obumbratus. Hæc Lex fuit ad Chriſtum venturum pædagogus, & qando Chriſtus redemptionem æternam ſui oblatione acqiſiverat, deſitura fuit.

Porrò, Legis Moſaicæ animadvertenda eſt compoſitio. Etenim Legis operum, cum maledictione illius tranſgreſſoribus denunciatâ, non eſt modo hiſtorica qædam recognitio, ſed populo applicatio. Promiſſionis vero Abrahami factæ, & fœderis illius eſt frequens recordatio. Gal. 3. 10. Itaque Lex Fidei in ſecreto canali per illam œconomiam permeavit, & Evangelium ſub Legis typicâ parte de Sacerdotio & Sacrificiis velatum latuit. Hinc Apoſtolus infert gratiæ œconomiam clariorem, liberiorem, & perfectiorem fuiſſe ſecundùm Dei conſilium neceſſariam, cui per Evangelium manifeſtatæ, Lex ad tempus reformationis ſolummodo inſtituta, cedere debuit, utpote qæ finem in Chriſto accepiſſet. Heb. 9. 10.

§ 6.

Juſtitia primaria & ſecundaria.

Pergo jam ad altiorem diſqiſitionem de Juſtitiâ. Siqidem Juſtitia ſit conformitas Legi, & Lex ex duabus partibus conſtet, ſcil. Præcepto de Obedientiâ, & Sanctione, ſive pœnæ tranſgreſſioni proportionatæ ſtatuto; hinc etiam oritur Juſtitia duplex. Prudens Legiſlator ſemper tranſgreſſioni pœnam annectit adeò gravem, ut tentationi, ſive commodo qod peccandi eſt illex, præponderet, & cujus formido libidinem compeſcere valeat, qando homo ſerio recolet ſe caro non tam lucrum aut voluptatem, qam pœnitentiam empturum, ſi

Senecæ *regula, Nemo prudens hominem punit, qia peccatum eſt, ſed nè peccetur in Deo, qi vindictæ privilegium ſibi vendicavit, non obtinet.* V. 2 Theſſ. 1.8,9. Deut. 32. 35. Rom. 12.19. Ἔχει θεὸς ἐκδίκειν ὅμμα.

legem violaverit. Idem reſpicit etiam ſuum honorem, & ſuæ dignitati conſulit; ut Majeſtas peccato læſa peccatoris ſupplicio reſarciatur. Juſtitia igitur primaria, qam Deus primam flagitat, & qâ oblectatur, eſt hominis obedientia. Homo creationis jure Domino Deo hoc obedientiæ debito obſtringitur, ut Chriſtus nos monet, Luc. 17. 10. Et ab hoc debito, in qocunqe ſtatu extiterit, non poteſt exolvi; qia Dei dominio non poteſt ſubtrahi, neque legis divinæ vires infringere, qamvis ordinem homini præſcriptum violet: Peccator igitur ſemper lege ligatur ad obedientiam. Verùm qia pœna certa peccato ſubnectitur, qâ injuriæ ſive contumeliæ Deo legis tranſgreſſione illatæ juſta compenſatio fiat, ſiqis peccator hanc ſatisfactionem poſſet reddere, Juſtitiam ſecundariam potuiſſet aſſeqi. Deus qidem obedientiam hominis mavult, qam mortem peccatoris. Divinæ vero Sanctitatis & Juſtitiæ honor poſtulat, ut Majeſtatis reus Morte ſuâ, qæ peccati eſt ſtipendium, honorem Juſtitiæ divinæ violatum reparet. Hinc oritur præter primum, idqe perpetuum, obedientiæ debitum, recens ex peccato contractum pœnæ debitum. Ob hanc rationem in S. Scripturâ Peccatores vocantur Debitores, & Delicta Debita; qia tranſgreſſio Legis delinqentes mortis debitores reddit. Qodſi fieri poſſet, ut peccator hoc debitum intra certum temporis ſpatium poſſet perſolvere, ſicut Fur ſub lege pro furto compenſationem lege ſtatutam potuit exolvere, tunc fieri potuit, ut peccator pro peccatis ſuis ſatisfaceret. Verùm ſiqidem Mors æterna ſit peccati ſtipendium, & Ignis infernalis cordis pravitatem non exurat, neqe qenqam dare Deo gloriam inducat, peccator ſemper erit ſolvendo, ſed nunqam perſolvet, ut ultimo qadrante exoluto è carcere inferni liber emittatur. Idcirco peccator Juſtitiam per ſatisfactionem à ſeipſo præſtitam recuperandi potentiâ omni deſtituitur. Cæterùm qia peccatoribus qi dormi-

Luc. 13. 2, 4.
Mat. 6. 12.

entibus

entibus ſunt ſimiles, ſua ſunt inſomnia, forte qidam qærent, Annon peccator pœnitentiæ fructus proferendo Deo pro peccatis antegreſſis ſatisfacere poteſt, & ex operibus Legis juſtificari? Hoc fuiſſe Judæorum phantaſma, vel huic cognatum, liqet ex Rom. 9. 32. & 10.3. Idcirco Apoſtolus in Juſtificatione peccatoris opera Legis Fidei conſtanter opponit. Innuit autem, etſi diſertè non dicat, peccatorem obedientiæ debitum, vel debiti partem incompletam, ſolvendo, debitum mortis æternæ non poſſe exolvere. Porro hanc peccatoris ἀδύναμον ſeipſum recuperandi, & hanc legis ἀδυναμίαν juſtificandi qenqam ratione *carnis* omnis peccato implicitæ, Deum miſericordem reſpexiſſe docet, qando Filium ſuum præ amore erga humanum genus in ſimilitudine carnis peccatricis miſit, ut peccata noſtra in corpore ſuo ferens, pro peccatis hoſtia fieret, & in carne Chriſti crucifixi Deus (Pater ſcil. non Filius) peccata condemnaret: ut nulla nunc condemnatio reſtaret illis qi ſunt in Chriſto Jeſu, per qem τὸ δικαίωμα Legis impletum fuit, & impleri cenſetur in illis qi ſunt in Chriſto Jeſu, & per ejus obedientiam juſti conſtituuntur. Ex Apoſtoli capitibus duobus de hoc argumento, in unam ſententiam ejus doctrinam compegi. Qoniam Judæi ſuam ipſorum juſtitiam ex operibus ſuis ſtabilire contenderunt, qæ eſt Judæorum hodiernorum pervicacia in Chriſti ſatisfactionem explodendo, Apoſtolus docet Adamum ſecundum † ex muliere natum ſub Lege, formam Servi ſuſcepiſſe, ut Adami primi tranſgreſſionem obedientiâ ſuâ humilimâ expiaret, & Adami poſteros morte ſuâ, ſive ſanguine ſuo per modum ſacrificii effuſo, utpote pretio juſto, à peccato & morte redimeret, & omnes hujus ſatisfactionis à Chriſto Deo præſtitæ compotes fide facti Juſtitiam ſecundariam adipiſcerentur. Fiducia enim in Chriſto Redemptore,

Rom. 5. 6, 8. Rom. 8. 3, 4.

τὸ ἀδύνατον, impotentiam ſignificat; idem valet, atqe ἡ ἀδυναμία.

Rom. 5. 18, 19

† V. C. Joannes Buxtorf. Syn. Judaic. c. 1. refert ſe audiſſe Judæum dicentem, Nemini opus eſt, ut pro meis peccatis ſatisfaciat: vulpem qamlibet excoriatori pellem propriam porrigere deglubendam, pilóſqe proprios evellendos ejuſdem poteſtati relinqere oportet.

& in ejus Sanguine, medium eſt ex parte hominis divinitus inſtitutum, per qod (operibus excluſis) peccati rei Sacrificii Chriſti expiatorii participes fiant, & ob Chriſti Satisfactionem vice ipſorum præſtitam, atqe à Deo acceptatam, juſtificentur. Ob hanc rationem (neqe aliam ſolidam ingenium humanum ex Scripturâ S. elicere poteſt) Apoſtolus Fidei ſemper, Pœnitentiæ nunqam, Juſtificationem tribuit, ſcil. qia peccator fit juſtus ex fide in Chriſto Jeſu, & non ex pœnitentiâ.

§ 7. *Satisfactio Chriſti, qi eſt Sponſor Fœderis Novi.*

1 Pet. 3. 18. Rom. 4. 25. Eſa. 53. 5, 6, 8, 11. Joh. 1. 29. Heb. 9. 28. 1 Pet. 2. 24. 2 Cor. 5. 21. Gal. 2. 13. Eph. 5. 2. Mat. 20. 28. 1 Tim. 2. 6.

Siqidem Juſtitia Chriſtiani ſit ſecundaria, qæ fundatur in Chriſti Satisfactione, proximè diſpiciendum eſt, qo pacto Chriſtus hanc ſatisfactionem in ſe ſuſceperit, & in qo ſatisfactio pro peccatis conſtet. 1°. Radio Solis ſcriptum eſt, Chriſtum juſtum pro injuſtis paſſum; idqe propter peccata, non ſua, ſed noſtra; qæ Deus in illum occurrere fecit, & qæ ipſe tulit in corpore ſuo in ligno maledicto; pro nobis peccatum & maledictionem fuiſſe factum, & deniqe pro nobis peccatoribus animam ſuam hoſtiam feciſſe, & ſeipſum utì Sacrificium Deo obtuliſſe, & λύτρον, immò ἀντίλυτρον, ſeipſum dediſſe Patri, ut nos à legis maledictione ob ejus tranſgreſſionem nobis debitâ, & morte æternâ redimeret. Sicut victimæ pro peccatis, qæ in Eccleſiæ primordiis, & ſeculis omnibus inſequtis, & deniqe ſub Lege Moſaicâ fuêre Deo mactatæ, Dei ipſius juſſu (alioqin homo conſcientiæ terrore ob peccati ſenſum, & iræ divinæ metum, non potuit certo ſcire, qod beſtiæ nihil mali meritæ, cædes Dei iram placatura foret) fuere offerentium ἀντίψυχα, *i. e.* earum ſanguis, & vita qæ in ſanguine eſt, ad hominum qi mortem meruerant redempturam valuere, qoniam peccatorum vice à Deo fuere acceptatæ: Sic Agnus Dei immaculatus, qi mortem non meruit, ſed vi fœderis operum ab ipſo integrè ſervati vitam ſibi debitam poſtulare jure potuit, vicem noſtram ſubiit, qando

Levit. 11. 17.

pro

pro peccatis noſtris, ut illa dilueret, Sanguinem ſuum effudit.

2°. Scriptura hujus œconomiæ rationem pateſecit, qando Filium Dei docuit eſſe μεσίτην καὶ ὑφυον Fœderis Gratiæ, Mediatorem, ſive Seqeſtrum, & Sponſorem, ſive vadem Novi Fœderis. Fœdus operum, in qò vita æterna promiſſa fuit merces obedientiæ perpetuæ, opus non habuit Mediatore, qia homo integer pacem habuit cum Deo; neqe Sponſore, qoniam Adam obedientiâ ſuâ, qam Deo præſtare debuit, juſtificandus fuit, & in manu conſilii ſui relictus vires nativas habuit, qibus inſtructus potuit non peccare, ſi voluiſſet. At fœdere illo Adami tranſgreſſione violato, inimicitia inter Deum & hominem mutua exorta eſt, qæ componi non poteſt abſqe Mediatore. Deinde illa eſt peccatoris impotentia, ut vade indigeat, cujus operâ divinæ Juſtitiæ factum ſit ſatis, ut Deus mundo peccatrici concilietur. Deus hominis perditi, & abſqe gratiâ in æternum perituri, miſertus, conſilium iniit de ſalute humanâ per Mediatorem procurandâ. Deus Pater qi dixit, Faciamus hominem in imagine noſtrâ, conſiliarios habuit Verbum, & Spiritum Sanctum. Redemptionis opus * conſilio pari fuit ordinatum. Qando igitur Pater dixit, Redimamus hominem Mediatoris ſanguine, & vox audita eſt, Qem mittam? ilicò Filius reſpondit, Ecce ego, mitte me. Conſenſus Filii cum Patre de illius miſſione cum mandato Mediatorii Muneris, eſt fundamentum Fœderis Gratiæ. Hoc non eſt humani cerebelli commentum, ſed myſterium à Vate Regio Davide clarè ſatis revelatum, ſi illi Apoſtoli commentarium adjiciamus: * Spiritus Dei per os Davidis dixit, (de Deo ſecundum morem humanum loqens) Decretum fuiſſe in Concilio cœleſti factum, & in Libro curiæ cœleſtis ſcriptum, qòd Filius Dei in tempore præſtituto carnem eſſet induiturus, Rex & Sacerdos ungendus, & corporis ſui ad Paſſionem

Heb. 8. 6. & 7. 22.

Gen. 1. 26.

* Eph. 1. 11. Eſa. 6. 8.

* 2 Sam. 23. 2. Act. 1. 16. & 4. 25. *Confer* Pſal. 2. 6, 7. & 110. 4. & 40. 6, 7. 8. *cum* Heb. 7. 15--22. & 10. 5--10.

ſionem adaptati oblatione per modum Sacrificii voluntatem Dei Patris præſtiturus, ut peccatores oblatione illâ victimæ expiatoriæ & propitiatoriæ luſtrarentur.

1 Pet. 1. 2. Hoc Dei Conſilium & Decretum S. *Petrus* reſpexit, qando dixit, Agnum immaculatum, cujus ſanguine redimimur, fuiſſe προεγνωσμένον, *i. e.* præſtitutum ante jactum Mundi fundamentum, ſed manifeſtatum in temporibus noviſſimis.

Fœdus igitur Gratiæ eſt Tripartitum. 1. Deus Pater totius œconomiæ author primus (ordo n. in Sacroſanctâ Trinitate, & ejus actionibus qæ ad creaturas ſpectant, eſt obſervandus) eſt unus, ſive una Perſona. 2. Altera Perſona eſt Filius Dei, jam Mediator Dei & hominum unicus, & corporis ſui, *i. e.* Eccleſiæ Caput, & Servator. Tertia pars eſt Genus humanum, vel potiùs Eccleſia Chriſti Sanguine redimenda, & ex genere humano colligenda.

Deum pactum cum Filio tranſegiſſe liqet, qoniam jusjurandum illi dedit de Sacerdotio ejus æterno, & pari ratione de regno ſecundum ordinem Melchiſedeki, qi dignitate & Regia & Sacerdotali ſimul ornatus fuit.

Epheſ. 2. 11. Deus etiam ſecundum propoſitum æternum, qod in Chriſto Jeſu fecit, vitam æternam promiſit ante tempora

Tit. 1. 2. ſecularia. Cui promiſit, homine nondum creato, nedum lapſo, niſi Filio ſuo Fœderis novi Mediatori futu-

2 Tim. 1. 9. ro. Deus etiam ſecundum ſuum propoſitum Gratiam nobis dedit in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia. Non eſt igitur ambigendum Patrem pepigiſſe cum Filio de Eccleſiæ in tempore conſtitutione & ſalute æternâ. Filius Patri ſpopondit, ſe formâ ſervi in carne ſuſceptâ Patris voluntatem impleturum, & opus illi mandandum in terris facturum, ut Juſtitiæ divinæ honore integro miſericordiæ curſus liber apertus eſſet. Deus autem promiſit dare Filio gentes ad hæreditatem, & totius mundi dominium, in ordine ad Eccleſiæ ſalutem

tem procurandam, & munere Mediatorio plenè defungendum.

Christus verò respectu hominum in se suscepit beneficia omnia, quæ Deus promisit, & ipse Sanguine suo acquisivit, illis præstita fore omnibus, qi conditiones in hoc Fœdere Gratiæ à salutis hæredibus requisitas præstiterint: Itaqe in Christo Jesu omnes Dei promissiones sunt Næ & Amen. 2 Cor. 1. 20. Et hoc Fœdus inter Deum & Homines cum Deo confœderatos Christi sanguine sancitur, & Sacramento corporis & sanguinis Christi, ad illius Sacrificii reminiscentiam instituto confirmatur. 1 Cor. 11. 23-26.

Porrò pactio inter Patrem & Filium de satisfactione Justitiæ divinæ pro peccatis nostris transacta fuit absqe consilio aut consensu hominum qi iræ divinæ sunt obnoxii. At hæc œconomia jam per Evangelii præconium gentibus omnibus revelatur, qæ ad fœdus hoc gratiæ cum Deo ineundum vocantur. Qotqot autem vocationi obsequuntur, secundum Christi institutum, baptizantur in Christum; per Baptismum externum & internum ingrediuntur regnum Dei; subditi fiunt Christi; & Baptismus est Sacramentum fidei, qo sese Christo fidelitatem præstare obstringunt. Gal. 3. 27. Joh. 3. 5. B. *Petrus* aqis diluvii Baptisma correspondere docet, non externam carnis lotionem, sed sponsionem bonæ conscientiæ erga Deum, per qam sicut *Noah* in arcâ servatus fuit hæres Justitiæ secundum fidem, sic Christiani per baptisma Deo confœderati fiunt hæredes Salutis. 1 Pet. 3. 20, 21. Heb. 11. 5. Obiter notamus, Justificationem & Salutem etiam Sacramentis tribui, qia sunt sigilla fœderis gratiæ, sicut B. *Paulus* vocat Circumcisionem sigillum justitiæ fidei. Rom. 4. 11.

A diverticulo redeo ad viam. Satis jam ostendi Christi sponsionem, qæ in rerum ordine ejus mortem antecessit, & fœderis gratiæ fuit pars primaria, esse fundum Christi satisfactionis, qam explicare pergo.

Satisfactio sit per tantundem, & non semper per idem.

3°. Justitiæ & æqitati in rebus civilibus probè convenit,

venit, ut ſponſor, qi alterius debitum exolvere, vel noxam compenſatione abolere in ſe recipit, non obligetur ad idem faciendum vel patiendum, ad qod debitor, aut reus fuit adſtrictus; ſed ſufficit ad ſatisfactionem plenariam, ſi tantundem præſtet, qod ad damnum aut crimen compenſandum æqipolleat, ſecundum Creditoris vel Judicis æſtimationem. Hæc Juſtitiæ regula in negotio præſenti obtinet.

4°. Dei Legiſlatoris Sapientia, Sanctitas, & Juſtitia, qæ peccatum inultum abire non ſiverunt, (vid. *Jer.* 5.9.) ſed Deum Authoritatem ſuam tueri, & Sanctitatis ſuæ gloriæ conſulere moverunt, qæ imminutæ fuiſſent, ſi Deus peccatoribus delicta abſqe ſatisfactione condonaſſet, à ſponſore pœnas exigere moverunt, ſi qis interveniret, & ob eandem rationem eô tulerunt, ut omnes iniqitates alienas, pro qibus ſponſor ſpopondit, illi impingeret, & pœnas Majeſtatis læſæ crimini pares infligeret. *Platonicum* illud, ὁ θεὸς ἀεὶ γεωμετρεῖ, Deus omnia in numero, pondere, & menſurâ diſponit, maximè verum eſt in judicii adminiſtratione. Deus autem Judicis perſonam induit, qando iræ ſuæ calicem Chriſto bibendum miſcuit. Affectus autem Patris tenerrimus erga Filium ſuum unigenitum, & tunc obedientiæ ſuæ ergô dilectiſſimum, non ſivit Deum ſanguinis guttam, vel unam ex Chriſto haurire ſuperfluam, neqe aloës micam ultra menſuram debitam calici illi horroris infundere. A Blaſphemiâ prope abeſt dicere, Unam Chriſti ſanguinis guttam ad mundi totius redemptionem ſuffeciſſe. Hoc commentum de Chriſti ſanguine ſuperfluo eſt fundamentum theſauri Pontificii, per cujus diſpenſationem Papa fumum auro venditat.

Pindarus *Deum vocat* Τὸν ἀριστοτεχνὸν τῶν δίκης.

5°. Sapientia Dei πολυποίκιλος eluceſcit in ſatisfactione Chriſti ad hominis peccatum, & ad pœnam etiam peccato lege debitam adaptando.

Chriſti ſatisfactio hominis peccato analoga.

1. Conferamus hominis peccatum cum remedio. Adami

dami tranſgreſſio ôrta eſt ex Dei contemptu ſuperbo, qo Sapientiam & Voluntatem ſuam divinæ prætulit. Contraria contrariis ſanantur. Chriſti Satisfactio primò & præcipuè conſtat in Filii Dei humiliatione ſui, qæ Phil. 2. 7,8. cœpta eſt in Servi formam ſuſcipiendo, & conſummata fuit in Obedientiâ uſqe ad Crucis mortem: Item in voluntatem Dei per totum vitæ curriculum faciendo, atqe in extremâ ſtadii parte ſeipſum abnegando cum ſubmiſſione ſuæ voluntatis Patris voluntati profundiſſimâ, qando poſt calicis deprecationem enixam ſeipſum totum Patri dedidit qaſi mancipium, aiens, Cæterùm non mea, ſed tua voluntas fiat. Luc. 22. 42. Notandum eſt, Filii Dei ὁ ἀνθρώπινον ſimpliciter ſpectatam non eſſe humiliationem Chriſti. Humana qidem Natura exaltatur in immenſum, qando Filio Dei perſonaliter unitur. Sed aſſumptio humanitatis non eſt humiliatio Deitatis, utì ex eo liqet, qod Chriſtus, humiliationis tempore & ſtatu exactis, humanitatem non exuit. Adamus ſecundus, imagine Dei ſignatus, fuit gloria Dei perinde atqe primus: 1 Cor. 11. 7. Lucas Chriſti genealogiam per longam majorum ſeriem deducit ad Adamum, qi fuit filius Dei: Hæc natalitia Luc. 3. 38. Adami integri dignitas non fuit Filio Dei dedecori. Verum Chriſtus in eo ſe humiliavit, qod ſeipſum ἐκένωσε, Phil. 2. 8. vanitatem fecit; (omnis homo enim, ex qo Adam jumento pereunti aſſimilatus eſt, etiam in optimo ſtatu eſt Pſal 39. 5, 11. vanitas) & verbum qd in æternum manet factum fuit pro tempore caro, qæ inſtar floris eſt decidua; & Dominus gloriæ par Deo Patri, ſervi formam induit, & in carnis peccatricis ſimilitudine fratribus per omnia (peccato unicè excepto) aſſimilatus, ſecundum ſortem humani generis communem affectibus infirmitatis indicibus, paſſionibus, & mortalitati ſeſe ſubjecit. Joh. 1. 14. Adde qod filius hominis ex muliere ſub Lege Judaicâ, qæ ſervile qiddam in ſe habuit, naſci; & mortem ſervilem, ſcil. flagellationis atqe crucis obire voluit. Hæc Filii Dei humi-

liatio ultronea infra ſtatum hominis integri commodum, amœnum, & honeſtum, ad hominis ſuperbiam diluendam convenienter fuit deſtinata, ut homo ſervus peccati factus, per Chriſti ſervitutem ſpontaneam ad libertatem filiorum Dei glorioſam denuò aſſereretur.

Chriſti ſatisfactio pœnæ peccati quadantenus congrua.

2. Congruitas etiam apparet multiplex inter Chriſti paſſiones atqe mortem, & pœnam Lege peccato debitam. Etenim 1°. Pœna in genere peccati aſſecla eſt Dei maledictio, qæ hominis gratiâ etiam terram invaſit, & ſpinis replevit. Chriſtus coronâ ſpineâ impeditus, & dolore dedecori pari affectus, terræ maledictionem tulit. In morte autem crucis ſecundum Dei ſententiam in Lege factus fuit Execratio.

Gal. 3. 10-14.

2°. Pœna peccatoris ultima Dedecus, Damnum, & Dolorem in ſe complectitur. Pudor eſt peccati aſſecla inſeparabilis. In die verò Judicii peccator in theatrum mundi è pulvere extractus, reſurget ad pudorem & ignominiam æternam. Deus Chriſti dies abbreviavit, & ignominiâ texit, qum hominum ludibrio & opprobriis expoſuit. Damnum miſeri peccatoris è cœlo excluſi, & in gehennam projecti, eſt lucis divini vultus amiſſio, qæ tenebras ſecum horrendas trahit. Chriſtus vocat tempus ſuæ paſſionis Horam tenebrarum. Dies verò iræ Dei ferocis, in qo Filium ſuum peccatis noſtris onuſtum afflixit, contudit, & ſauciavit, fuit tenebrarum & caliginis craſſiſſimæ dies, qia Deus faciem ſuam à Filio texit, ut ne ſtricturam lucis aſpiceret, qando ex animæ amaritudine altâ voce qerimoniam illam acerbam eructavit, *Deus mî, Deus mî, qare me dereliqiſti?* Inferni tenebris additur cruciatus primo ſpiritus carni ſuperſtitis, & deinceps hominis integri, qi licet extingui optet, ad ſupplicium reparatur. Dolores autem gehennæ, qos anima in corpore & per corpus perſentit, maximè ſunt iræ divinæ flagella, qibus Deus immediatè conſcientias percutit, faciem ſuam iratam illis objiciens.

Dan. 12. 2.

Pſal. 89. 24.

Lam. 1. 12.

Mar. 15.34.
Mat. 8. 12.
Luc. 16. 23.

jiciens. Jam Chriſti anima fuit in paſſionis proœmio uſqe ad mortem doloribus circumſeſſa : in agoniâ cum omnibus tenebrarum poteſtatibus manu factâ illum adortis colluctans ad ſudorem ſanguineum certavit. Mox militibus traditus, ut crucifigeretur, omnes dolores ignominiæ commixtos perpeſſus fuit, qos ingenioſa crudelitas potuit excogitare, ſupplicii modo ſervato. At in Horto & in Cruce Dei manus illi graviſſimè incubuit, & ſpiritus vulnera fuere acriora, qàm flagellorum, coronæ ſpineæ, & crucis torturæ corporis. Breviter, Chriſti dolores fuere non modò incomparabiles, ſed etiam intellectu noſtro incomprehenſibiles. At noſtrâ refert neqe Chriſtum crucifixum negligenter præterire, neqe ejus dolores vilipendere, aut parvifacere. Servatoris noſtri amor immenſus, qi ſcientiam omnem tranſcendit, qadantenus menſuratur, & qantum fieri poteſt optimè concipitur ex doloribus, qos Chriſtus pro noſtrâ ſalute paſſus fuit ; ſicut Judæi Chriſti amorem *Lazari* metiebantur ejus ſuſpiriis & lachrymis, qibus animadverſis clamarunt, *Ecce qomodo dilexit illum ?* Chriſti igitur amorem & redemptionis noſtræ pretium diminuunt, qi doloribus Chriſti, à Spiritu Sancto verbis variis & ἐμφατικωτάτοις expreſſis, qicqam detrahunt : fruſtrà verò obtendunt ſibi Religioni eſſe de Filio benedicti, qi eſt etiam Deus benedictus in ſecula, qicqam ejus Majeſtate indignum ſentire, nedum loqi. Qamdiu Chriſtum ſuam Sanctitatem & Juſtitiam indelibatas ſervaſſe credimus, tutò licet Spiritu Sancto duce dicere, qod Chriſtus fuit factus peccatum, & execratio, & iræ paternæ adverſus peccata noſtra in illum congeſta revelatæ ſenſu percuſſus : Chriſti pro nobis humiliati (ut *Tertullianus* ſcitè loqitur) non pudet, qia pudendum eſt. Cæterùm hæc Analogia inter pœnas peccato debitas, & Chriſti paſſiones, non eſt æqipollentia illa, qæ in compenſatione juſtâ reqiritur.

V. Mar. 14. 33, 34. Luc. 22. 44.

V. Lam. 1. 12.

Eph. 3. 18, 19.

Joh. 11. 35, 36.

Mar. 14. 61. Rom. 9. 5.

§ 8. Pergo igitur ad Christi satisfactionis materiam, sive rem ipsam qæ est animarum ἀντίλυτρον, & gradatim incedo.

Satisfactionis Christi materia.

1°. Apostolus *Paulus* collationem instituit inter Adamum Primum & Secundum. Primus Adam peccati & mortis fuit sibi & posteris author, per mandati specialis transgressionem, qâ legis totius fuit ἔνοχος: Secundus Adam * semini suo spirituali fons est Justitiæ per Obedientiam suam mandatum Patris præstitam, qi illi Mandato dedit, ut vitam pro ovibus poneret. Qando Filius Dei munus mediatorium suscepit, Legem specialem officio annexam accepit, prout Sacerdotio lex peculiaris comes est. Lex igitur Officii Christo nondum incarnato data, de qâ *David* in personâ Christi loqitur, superior fuit lege illâ, cui Christus seipsum subjecit, qando naturam nostram suscepit, & lege humano generi communi non potuit non obligari. Eo ipso qod filius hominis, Jesus Christus fuit Legi Adamo integro datæ, & Adami secundi cordi charactere plano inscriptæ, subditus, obedire huic legi suo nomine debuit. Qodsi hoc debitum non solvisset, reus Mortis fuisset, neqe Mundi Servator esse potuisset. Decuit & oportuit Christum, utpote qi & Sacerdos & Hostia simul esset, integrum vitæ, sceleríscqe purum, sanctum & immaculatum, à peccati labeculâ vel leviſsimâ immunem esse, qi pro peccatis alienis Justitiæ divinæ satisfacere suscepit. Itaqe Christi neqe naturæ puritas, qam integram tueri debuit, neqe obedientia legi naturæ præstita, pro delictis alienis compensatio est reputanda. Justitia igitur nostra non accepta referenda est Christi Innocentiæ, aut Justitiæ personali, sed peccatorum nostrorum in se susceptioni, & abolitioni per suam obedientiam usqe ad mortem Crucis, qæ Legis mediatoriæ & omnis Justitiæ fuit impletio. Christus enim per totum vitæ cursum voluntatem Patris fecit, donec opus qod Deus illi faciendum in terrâ mandavit morte consummasset, & servum Patris obedientissimum sese præ-

Rom. 5.

Jac. 2. 10.

* Esai. 53. 10.

Joh. 10. 18.

Heb. 7. 12.

Psal. 40. 8.

Christi obedientia duplex: una Legi mediatoriæ, altera Legi naturæ humanæ, debita.

Heb. 2. 17. & 7. 26, 27.

Confer
2 Cor. 5. 21.
Rom. 5. 19.
Phil. 2. 7, 8.
Mat. 3. 15.

præſtitiſſet. Apoſtolus ob hanc rationem Adami παρακοὴν opponit Chriſti ὑπακοὴν, & unius παραπτώματι, unius δικαίωμα. *i. e.* grande illud Juſtitiæ opus, per qod multi, *i. e.* omnes qi in Chriſto ſunt, juſti conſtituuntur. Statuendum igitur eſt totum obedientiæ humilis curſum, qi Adamo ſecundo fuit ſingularis eſſe delicti Adami & omnium noſtrorum peccatorum compenſationem. Sum matim, qicqid vel ſervile, vel pœnale, Chriſtus tulit fecitqe, qod ab Adamo integro Lex Dei non poſtulavit, id omne reputatur redemptionis noſtræ pretium complere. Notandum autem eſt omnem Chriſti obedientiam fuiſſe Activam, & potiſſimum ſub mortem, & in morte. Qicqid enim Chriſtus paſſus fuit animo ad obedientiam compoſito pertulit, & ſeipſum Patri obtulit. Paſſio nuda nihil in ſe virtutis habet laudè, aut gratiis dignum. Affectus animi pius, paſſionem conſecrat & coronat. Veriſſimè autem Poëta dixit, *Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.* Chriſtus verò in Paſſione ſuâ pietatem erga Patrem ſummam, & charitatem erga fratres immenſam exercuit. Hi fuere Sales, qibus Chriſti Sacrificium conditum Deo fuit acceptabile. Per utramqe Chriſtus Legem totam Mediatorii Officii, & naturæ etiam humanæ implevit. Qoniam verò Lex Naturæ tantùm abfuit à mortem hominis juſti poſcendo, ut vitam immortalem (non reſurrectionem) Adamo polliceretur, ideo Chriſti obedientia ad mortem fuit peccati mundi expiatoria.

Notandum eſt in Apoſtoli ſermone τὸ δικαίωμα *aliter & aliter ſumi*: v. 16. δικαίωμα *opponitur* κατὰ κρίματι, *& idem ſignificat qod* δικαίωσις, i. e. *Juſtificationem*; v. 18. *opponitur* παραπτώματι, *& ſignificat compenſationem juſtam pro tranſgreſſione.*

Cæterùm qia denominatio rei parti potiori ſæpè tribuitur, ideò noſtra Redemptio & Juſtificatio Chriſti ſanguinis in ſui Oblatione fuſo, & morti, qæ obedientiæ fuit coronis præſtantiſſima, tribuitur. Sic veritas correſpondet umbræ; qoniam ſub Lege propitiatio ſanguini victimæ in ejus cæde fuſo attribuitur.

1 Pet. 1. 19. Epheſ. 1. 5. Rom. 3. 24, 25. & 5. 9. Levit. 17. 11. 2 Chron. 29. 24.

Deniqe qoniam Sacrificium habitum fuit ſub Lege peccatoris ἀντίτυπον, & ſacrificii partes præcipuè fuere duæ,

Caro

Caro & Sanguis, ideo in Christi Sacrificio Scriptura N. T. harum partium disparatarum meminit.

Modò Christus dicitur carnem, sive corpus exangue, pro vitâ mundi dedisse, cujus Symbolum in Eucharistiâ est Panis; modò Sanguinem fudisse pro peccatorum Remissione, cujus Symbolum est vini Calix: modò animam, *i. e.* vitam qæ est in Sanguine, λύτρον pro multis dedisse. Deniqe qia Christus seipsum totum Patri obtulit, ut Sacrificium esset boni odoris, ideò dicitur Seipsum ἀντίλυτρον dedisse. Christus enim est Sacerdos & Sacrificium; & Redemptor & Precium redempturæ. Ostendi jam satisfactionis pro peccato mundi materiam.

Joh. 6. 51.
Luc. 22. 19.
Mat. 26. 28.
Mat. 20. 28.
Eph. 5. 2.
Heb. 9. 14.
1 Tim. 2. 6.

§ 9.
Satisfactionis Christi ratio ormalis.
f

Ratio verò Satisfactionis generatim in eo constat, qòd damnum vel injuria reparatur justo valore illius qod præstatur, & pro compensatione redditur. Hìc persona læsa est Deus, cujus Majestas summa ejus lege violatâ dedecore summo afficitur. Dei natura damnum non patitur, neqe rei cujusdam jacturam facit. Ἔξω βέλος τὸ θεῖον. Sed Dei Gloria, qæ est rerum omnium finis, & à creaturis ratione præditis maximè spectari, asseri, & provehi debet, peccato imminuitur, & qantum per hominem stat perditur. Immò qi Dei Legem violat, ipsum Legislatorem non esse cupit, & perdere mavult, qam ejus authoritate cohiberi, aut ejus potentiâ perire. Hinc gravitas culpæ & pœnæ commeritæ in immensum surgit. Qicqid igitur à reatu peccatorem liberat valorem infinitum ad gloriam Dei reparandam habere oportet. Qodsi per Filii Dei humiliationem sui, & obedientiam Patri suo ultro præstitam Deo gloriæ tantum accedat, qantum hominis peccato detractum fuit, jure optimo Christus Deo satisfeciisse censendus est. Christus autem Patris gloriam Obedientiâ suâ evexit, 1°. Qia dum seipsum cum abnegatione sui absolutâ Deo Patri lubens submisit,

ſubmiſit, ejus Dominium ſummum agnovit. 2°. Juſtitiæ divinæ ordinem reparavit, pro peccatis alienis pœnas, qas Judici libitum fuit exigere, luendo. 3°. Miſericordiæ divinæ curſum liberum aperuit, ut Gratiæ Dei divitiæ excellentes, & gloria illuſtriſſima eluceſcerent. 4°. Populum Deo peculiarem acquiſivit, & à Satanæ captivitate in libertatem aſſeruit, ut Deo in hoc ſeculo ſervirent, & in futuro Angelorum apoſtatarum locum replentes, Dei laudes in æternum celebrarent. Itaque Filius Dei ad ultimam agonem accinctus dixit, *Pater, ego te in terrâ glorificavi:* qomodò? *Opus quod mihi faciendum dedisti, conſummavi.* Qandoqidem igitur gloriæ ſeges uberrima Deo redeat per Filii ſui deſcenſum in mundum, ſtatus ſervilis in carne humanâ ſuſceptionem, obedientiam omnibus numeris abſolutam, & ad mortem crucis humiliationem, qæ injuriæ & contumeliæ Deo hominis peccato illatæ ſit ἀντίρροπος, vel etiam præponderet, utì Scripturæ lumine ductus oſtendi, Chriſti ſatisfactionis rationem formalem elucidaſſe me ſpero. Joh. 17. 4.

§ 10. *Gratiæ & Juſtitiæ concordia in Juſtificatione.* Τὸ ἀληθὲς τῷ ἀληθεῖ συναληθεύει.

Objectio hic occurrit ſolvenda. Gratis Dei Gratiâ juſtificamur. (Rom. 3. 24.) Ergo juſto pretio non redimimur.

Reſp. 1. Non ſequitur. Etenim ex vero nil niſi verum. Antecedens eſt unum Oraculum Dei. At Concluſio alteri Dei Oraculo pariter expreſſo è diametro opponitur. Spiritus Sanctus diſertè dicit, † *Pretio empti ſumus:* Pretium palam enarrat, * *Agnus mactatus nos Deo emit ſanguine ſuo:* Pretio etiam juſto, mundi totius ἀντάξιῳ, Chriſti ſanguine pretioſo redempti ſumus. Chriſtus precibus ſolummodò qantumvis fervidis Patris iram non pacavit, ſed precio Eccleſiam redemit: neqe Potentiâ nudâ Satanæ manibus prædam eripuit, ſed Juſtitiâ ejus poteſtatem mortis deſtruxit. Lex fuit inſtrumentum mortis, & Diabolus hoc telo peccatores occidit. † 1 Cor. 6. 20. & 7. 23. * Apoc. 5. 9. 1 Pet. 1. 18, 19. Heb. 2. 14. Eſa. 49. 24.

At

Col. 2. 14,15. At Christus in cruce Justitiæ divinæ pro peccato satisfecit, & Legem ipsam qæ nobis fuit contraria Cruci affixit, & Diabolum, qia potestatis sibi delegatæ limites transgressus hominem sanctum & justum occidit, potestate mortis expoliavit. Falsitas igitur consequentiæ satis evincitur.

Resp. 2. Gratis nihilominus justificamur, & sine pretio redimimur, qantum ad nos attinet; qippe qi nè minutum qidem unum ad debitum pœnæ exolvendum conferamus, qanqam non respectu Christi, qi solus per seipsum peccata expiavit, qando solus in torculari iræ divinæ pressus sanguine suo vestem suam carnis humanæ proluit.

Resp. 3. Gratia & Justitia ad peccatorum ob Christi obedientiam justificationem amicè conjurant. B. Apostolus in conclusione Cap. 5. ad *Roman.* Gratiæ cum Justitiâ contexturam in Salutis veste disertè explicat. Sicut (inqit) Peccatum regnavit ad Mortem, Sic Gratia per Justitiam regnat ad Vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum. Per qam Justitiam? Gertè B. *Paulus* illam voluit, de qâ in sermone proximè progresso, illa scil. qam Christus obedientiâ suâ nobis impetravit. Gratiæ fluenta per totum opus leniter fluunt: 1°. Ex fonte misericordiæ fœdus gratiæ & pacis scaturiit. Gratiæ fuit, qod Deus de hominis perditi Salute consilium iniit, & deinde fœdus novum cum perduellibus subditis pepigit.

2°. Gratiæ specimen fuit τὸ ὑπερικὸς illud, qo summus Legislator rigorem Legis, qæ secundum literam dixit, Ezek. 18. 4. *Anima qæ peccat morietur*, temperavit, & Sponsoris satisfactionem vice Peccatoris admisit.

3°. Gratia sese largiùs diffudit in Mediatorem & Sponsorem idoneum excogitando; qm homo consilii, perinde atqe virium inops, qô se verteret nescîit.

4°. Qm

4°. Qum Sapientiæ Divinæ nullus huic arduo operi par visus fuit, Deus Filio suo unigenito non pepercit, sed dedit, ut propitiatio esset pro peccatis nostris. Rom 8. 32. Joh. 3. 16. 1 Joh. 4. 10.

5°. Gratiæ gloria est eò illustrior, qod Deus amore suo & benignitate homines prævertit, & nobis non qærentibus de hoc miseriæ remedio prospexit, & de salute vel non solicitis, vel desperantibus viam pacis patefecit. Immò, si homini hoc remedium suæ miseriæ in cor subire potuisset, illud petere, qod Deus ultro dedit, audacia fuisset verecunda.

6°. Ipsa Justitia, qæ ex Christi Satisfactione exoritur nobis gratuitò, donatur. Apostolus igitur, ut περισσείαν τῆς χάριτος exprimat, totum Eloqentiæ penuarium exhaurit, & appellat illam χάρισμα, δωρεὰν, δώρημα. Hoc donum perfectum & ineffabile ideò est gratuitum, qia Deus nullas conditiones duras nobis imponit, sed fidem in Christum crucifixum solummodò flagitat, ut hujus doni compotes fiamus. Rom. 5. 15, 16, 17.

7°. Porrò gratiæ divitiæ exuberant, qia Fides ipsa qâ servamur, est Dei Opus & Donum. Eph. 2. 8. & 1. 19. Phil. 1. 29.

8°. Fastigium Gratiæ hoc est, qod Fides Jesu Christi reputatur nobis ad Justitiam sub Fœdere Evangelico. Meritò igitur Evangelium appellatur κατ' ἐξοχὴν Gratia. Interim neqe Justitiæ neqe Gratiæ divinæ jubar eclipsin ex alterutrius interventu patitur, dum Justitia satisfactionem postulat, & Gratia hostiam succedaneam, Agnum pro *Isaako*, substituit.

§ 11. *Christi Satisfactionis fructus est Justificatio Christi capitis.*

Pergo jam ad Christi Satisfactionis Effectus, qorum primus est Justitia & Justificatio Christi. Satisfactionis plenariæ præstitæ, & acceptatæ effectus immediatus est personæ, qomodolibet obnoxiæ, Justitia illa, qæ rectè vocatur secundaria, qam Justificatio seqitur. Christo igitur justo pro injustis passo, qicqid justo mundi Judici ab illo vice nostrâ exigere visum est, fructus primus fuit

Christi ipsius Justitia, & Justificatio. Christus in cruce, respectu mundi, reputatus fuit cum peccatoribus; respectu Dei, peccatis nostris onustus fuit. Qando verò circa horam nonam, Sacrificii vespertini tempus, Spiritum suum in manus Patris depositit, animam agens dixit, *Consummatum est*, & *inclinato capite* (Deum scilicet adorans) *tradidit Spiritum.* Opus Dei tunc consummavit, & sui Oblationem perfecit. Simulátque autem *Adam* secundus solvit, qod *Adam* primus rapuit, Paradisi porta & Christo, & Latroni cujus peccatum Christus sustulit, aperta fuit. Filius Dei igitur ad Patrem redeuns, etiam in ipso mortis die † justificatus fuit in Spiritu: Sed die tertio, qando Pater * vincula mortis solvens, è quibus detineri non ampliùs potuit, Sepulcri ostium Angelorum ministerio recluſit, & Christo ad vitam immortalem suscitato, liberum è carcere exitum patefecit, justificatus fuit modo eminentissimo, respectu duplici. In hoc consilio divino, sicut in pluribus aliis, qæ Deus per homines exeqitur; alius est animus hominum, alia est sententia Dei, cui mundus est hospes, (e.g. *Esa.* 10.7.) Jesus à Sacerdote summo & Concilio grandi sub Impostoris & Blasphemi nomine, qia Filium Dei, *i. e.* Messiam se professus fuit, mortis damnans, *Pilato* Præsidi traditus fuit, supplicio capitis plectendus. A *Pilato* qidem justificatus fuit, ut & ab *Herode*; sed ad placendum populo deditus ad crucifixionem.

Confer Luc. 23.46. Joh. 19.28. Heb. 11.21.

† 1 Tim. 3.16.

* Act. 2.24. ὠδῖνας τοῦ θανάτου, *Non sunt dolores (Christus enim post animam Deo redditam doloris nihil sensit) sed funes, sive vincula. Vox Græca à 70 usurpata respondet Hebræo vocabulo* חבלי, *qod & dolores parturientium, & funes significat. At 70 Interpretamentum unum ad alterum significandum transtulerunt, uti cum aliis vocabulis fecerunt. S.* Petrus *respexit* Davidis *verba*, 2 Sam. 22.6. Psal. 18.5. & 116.3.

Turba Remi sequitur fortunam, ut semper, & odit Damnatos----

Vulgus Primorum authoritate motum Jesum maleficum non minus, qàm duos crucis participes, reputavit. Iniquissimum certè judicium! At Christus judicio Dei justo ob peccata nostra Legis maledictioni fuit obnoxius, & cum transgressoribus reputatus. Per resurrectionem verò

Idem vocabulum 70 *reddiderunt* χωνία, Psal. 119.61. *Funes.*

Jesus

Jesus potenter demonstratus fuit Filius Dei, Sanctus & Justus; qi morti iniqè traditus, vitæ jure fuit redditus. Manifestè apparuit Jesum fuisse Amen, (*Apoc.* 3. 14.) (hic est Dei titulus, *Esa.* 65. 16.) testem fidelem, & verum, immò veritatem ipsam. Hoc modo Pater Filium à falsis hominum judiciis vindicavit, & justificavit. At Christus, eâdem operâ aliter etiam justificatus fuit, scil. à peccatorum nostrorum reatu, qæ in se receperat, & morte abolverat. Ut Apostolus ait, Qi mortuus est, justificatus fuit à peccato. Rom. 6.7. Sed Deus Christum à morte suscitando sibi ob peccatum mundi satisfactum fuisse palam ostendit, & Christum modo illustriori justificavit.

2°. Christi capitis Ecclesiæ Justificationem seqitur justificatio illius Membrorum, & hic est fructus secundus Satisfactionis Christi. *Fructus secundus Satisfactionis Christi est Membrorum Justificatio.* Per Christi ἱλασμὸν, καθαρισμὸν, ἀφαίρεσιν, περιαίρεσιν, ἀθέτησιν, peccatorum nostrorum, qæ Christus ἀνήνεγκε (verborum horum Emphasin nulla Translatio planè explicat.) Heb. 2. 17. & 1. 3. Heb. 10. 3. 11. Heb. 9. 26. Justitia secundaria redundat ad illos, qorum vice Christus Deo ἀντίλυτρον solvit. Verba Apostoli hunc sensum fundunt, neqe alium absqe torturâ ferunt, qando capite 5°. ad *Romanos* disertè docet per Obedientiam Christi multos justos constitui, & dono Dei gratuito justitiam accipere, ut à peccatis justificentur ad vitam: Et c. 4. v. 6. Justitiam absqe Operibus credentibus reputari. Deus neminem lege peccati convictum justificat, nisi hâc Justitiâ ex fide Jesu Christi præditus fuerit, & hâc Dei dono qotqot ditati & ornati sunt, infallibiliter justificantur etiam in hoc seculo.

Cæterùm Justificationis nostræ πλεροφορία ex Christi Resurrectione pendet. Nisi enim Christus à dominio mortis, qam pro peccatis nostris obiit, liberatus fuisset, nobis non constare potuit illum redemptionem æternam nobis comparasse, sed suspicio aut metus restitisset nos adhuc in peccatis esse. 1 Cor. 15. 17. Hanc ob rationem Apostolus dicit, Christum ob transgressiones nostras fuisse traditum, Rom. 4. 25. & 8. 34.

& reſurrexiſſe ob noſtram Juſtificationem. Juſtificatio noſtra Sanguini Chriſti, & Morti, *i. e.* Sacrificio ſanguineo alibi tribuitur, ſed ejus certioratio (detur verbo venia) reſurrectioni meritò aſcribitur. Ob eandem rationem Fides ad Chriſti reſurrectionem dirigitur, & ad Deum qi illum à mortuis ſuſcitavit, prout *Abraham* credidit in Deum qi ex corpore mortuo ſemen illi excitavit, & ex cineribus reſuſcitare potuit.

Rom. 4. 21, 24. Heb. 11. 19. Rom. 10. 9, 10. 1 Pet. 1. 21.

Qid eſt aliud ignoſcere, niſi pœnam prætermittere? M. T. Cic. *Ep. ad* Atticum.

Hinc clarè liqet Remiſſionem peccatorum, qæ ſtrictim ſumpta eſt liberatio à pœnâ, & eſt in rebus humanis actus Dominii atqe Clementiæ junctim, qi reatum præſupponit condemnationem ſæpè ſeqitur, non eſſe rem eandem cum Juſtificatione fidelis, cujus peccata Chriſtus diluit, qippe qæ condemnationem prævertat, & jure obſtruat, per judicii juſti exercitium. Deus enim eſt, & manifeſtatur eſſe juſtus, qando juſtificat illum qi eſt ex fide Jeſu Chriſti, fidelis & juſtus; reſpectu ſcil. ſponſionis cum Filio, qando utì Judex illos ab omni iniqitate purgat, qos Chriſti Sanguis ab omni peccato mundavit. Reverâ huic Oeconomiæ Dei nullam in rebus humanis actionem exactè parallelam comperimus, idcóqe Remiſſio peccatorum divina differt à condonatione humanâ in fundamento alterutrius, ſed utraqe in hoc convenit, qod reo impunitatem præſtat.

Rom. 3. 26.

1 Joh. 1. 7, 9.

Non me fugit Redemptionem ab Apoſtolo exponi per Remiſſionem peccatorum. Ratio eſt, non tam earum connexio inſeparabilis, qàm qia cum Judæis egit, qorum animis altè inſedit opinio de Redemptione ſeculari ab hoſtium ſecularium ſervitute, & *Romanorum* præcipuè jugo, qod eorum cervicibus tunc gravè incubuit. Expectarunt Meſſiam, Regem Iſraëlis, Regnum mundanum erecturum, ſub qo non modò libertatem Gentis ſuæ priſtinam, ſed etiam gentium exterarum Dominium adepturi eſſent. At Jeſus, Angelo ad *Joſephum* miſſo interprete, hoc nomine inſignitus fuit, qia populum

Eph. 1. 7. Col. 1. 14.

Mat. 1. 21. *Confer* Zachariæ *hymnum*, Luc. 1. 77, 78.

lum ſuum (è Judæis & Gentibus in unum corpus coalitum) à peccatis ſuis ſervaturus fuit. S. *Paulus* igitur carnali Judæorum opinioni ut occurreret, veram Redemptionem eſſe monuit, qam Chriſtus ſui Sanguinis effuſione, non gentium cæde aut ſubjectione comparavit, ſcil. peccati dominii ad mortem deſtructionem, & peccatorum remiſſionem.

Satis luculentò (utì ſpero) probavi ſtatum Gratiæ, in qo Chriſtianus ſtat per Fidem, eſſe ſtatum Juſtitiæ & Pacis, peccati reatu, qi diſſidii cauſſa fuit, Chriſti ſanguine abolito; & regnum Chriſti, qi *Melchiſedeko* eſt antitypus, conſtare in Juſtitiâ duplici, (nam Juſtitiam inhærentem, utì vulgo loqimur, habitualem & actualem, de qâ S. *Joannes* dicit, *Qi facit Juſtitiam eſt juſtus*, à Juſtitiâ relativâ, qæ eſt Juſtitia ex Fide, non ſeparo) & Pace, & Gaudio in Spiritu Sancto. Rom. 5. 1, 2. Eph. 2. 15, 16. Col. 1. 20.

§ 12. *Juſtificatio Abſolutio à peccatorum omnium reatu integra.*

Porrò ſciendum eſt, Juſtificationem eſſe integram Abſolutionem à peccatis omnibus, qorum fidelis accuſari poteſt. Sanguis Chriſti qi pro omnibus peccatis mortem obiit, ab omnibus conſcientiam purgat, ſive originali peccato, ſive actuali, ſive omiſſione debiti officii, ſive admiſſione facti vetiti. Qis igitur Dei Electos cujuſqam criminis inſimulabit, aut condemnabit, qando ob Chriſti Mortem & Interceſſionem Deus illos juſtificat? Rom. 8. 33, 34.

Hanc Juſtificationis in hoc ſeculo integritatem Apoſtolus intendit, qando dixit, Chriſtum Eccleſiam, Sponſam ſuam amâſſe, (etiam nondum amore dignam) & tradidiſſe ſe ipſum pro illâ, (ut ſanguine ſuo lavaret) ut illam ἁγιάσῃ, mundans lavacro aqæ in Verbo, & ſiſteret præſentem ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliqid hujuſmodi, ſed ut ſancta & immaculata eſſet. Qis dubitaverit Apoſtolum loqi de Eccleſiâ in terris peregrinante, qam Chriſtus ſibi deſponſavit, & ut conjugi idonea & par eſſet, ab omni peccato Apoc. 1. 5. Eheſ. 5. 25, 26, 27.

peccato purgavit? Si qa dubitatio reſtet, Apoſtolus illam eximit ad *Coloſſenſes* ſcribens, qos inqit olim Deo abalienatos & inimicos Chriſtus nunc reconciliavit, in corpore carnis ſuæ, ut per mortem præſentaret illos ſanctos, & inculpatos, & irreprehenſibiles coram Deo, ſi in fide fundati permanſerint, *&c.* Ἁγιασύνη, Sanctificatio, prout ſignificat mundationem à ſordibus carnis & ſpiritus, ſive reparationem imaginis Dei in Juſtitiâ & Sanctitate verâ, gradatim perficitur: Eccleſia militans ſimilis Lunæ, ſuas habet maculas: Sed Chriſto ſole Juſtitiæ induta, eſt tota pulchra & immaculata. Notandum eſt τὸ ἁγιάζειν, & τὸ ἁγιάζεσθαι, denotare luſtrationem peccatoris; ſicut ſub Lege homo immundus aqâ luſtrali & victimæ ſanguine reſperſus fuit purgatus; & juſtificationem in conſpectu Dei per Sanguinem Chriſti ſignificare perinde, atqe ſanctificationem: Vide *Heb.* 10. 10. & 13. 12. Hoc verò intereſt inter Sanctificationem, ſive Naturæ vitiatæ Renovationem, & perſonæ ad inſtar membri Chriſto capiti unitæ Juſtificationem, qod puritas illa ſpiritualis ob carnis reliqias non eſt omninò immaculata, ſed perſonæ immunitas à peccatorum omnium reatu eſt ſimul & ſemel integra. Etenim ejus integritas pendet à perfectione Satisfactionis Chriſti, & virtute infinitâ ſanguinis Chriſti, qo omnia credentis in Chriſtum peccata diluuntur, qorum reatu abolito fidelis eſt perfectè juſtus coram Deo, & jus habet ad vitam æternam, & benedictionem qam Deus in Novo Fœdere nobis per Chriſtum pollicitus eſt.

Col. 1. 21,22, 23.

2 Cor. 7. 1.

Gal. 3. 27. Apoc. 12. 1. Cant. 4. 7.

Alius ſenſus eſt τῷ ἁγιάζεσθαι, Heb. 10. 2. 9. *qando dicit, qendam à fide apoſtatam ſuiſſe ſanguine fœderis ſanctificatum, i. e. Deo conſecratum, qando per Baptiſmum fœdus cum Deo Evangelicum iniit.*

Corollarium hic adjiciam non aſpernandum. Hinc liqet illos hallucinari, qi aliud in Chriſto requirunt, qo Peccator à peccati reatu liberetur & morte, aliud qo juſtus fiat, & jus ad vitam æternam conſeqatur. Hinc orta eſt inanis illa diſtinctio inter Chriſti Obedientiam Activam & Paſſivam, & opinio qòd per Chriſti mortem à peccato & morte liberamur, ſed per Chriſti impletionem

nem Legis pro nobis juſti ſumus, & ad vitam jus adipiſcimur. Verùm in homine nullus eſt ſtatus medius inter juſtum & peccatorem, inter hæredem vitæ, & filium (ſive reum) mortis. Hominis Innocentia, qæ diſtincta eſt à Juſtitiâ, eſt phantaſma. Eâdem operâ, qâ homo a reatu peccati & morte liberatur, juſtus fit, & vivit, nunc habet vitam æternam, qia tranſiit à morte ad vitam. Chriſtus morte ſuâ, & à maledictione nos liberat, & hæreditatem æternam nobis acqirit. Optandum eſſet, ut Theologi non extricaſſent doctrinam de Juſtificatione hâc opinione, qæ adverſariorum exceptionibus, & Antinomiſmo etiam anſam dedit. Argumentum enim eſt ineluctabile; Si Chriſtus moriens pro nobis à morte, qæ eſt peccati ſtipendium, liberavit, tunc pari ratione Chriſtus Legem pro nobis implens, ab obedientiâ Legi debitâ nos abſolvit. Iniqum enim eſt, debitum idem & à Sponſore, qui debitoris nomine illud exolvit, accipere, & à debitore poſtmodum exigere. Lex reſpectu ſanctionis pœnalis eſt disjunctiva, Hoc fac, aut morere: Obedientiæ fructus eſt Vita; peccati, Mors. Si Chriſtus noſtrâ vice obedientiam Legi naturæ humanæ præſtitiſſet perfectam, nos morti æternæ non eſſemus obnoxii, neqe Chriſti morte opus fuiſſet ad liberandum nos à morte. Per Legem juſtitia noſtra adveniſſet, & tunc Chriſtus fruſtrà mortuus fuiſſet. Verùm Chriſti mors neceſſaria fuit ad nos à pœnâ peccato debitâ redimendum. A Morte verò redempti, non poſſunt non vivere. Itaqe Chriſti Satisfactionis, qæ Chriſti ſanguine, ſive ſacrificio, tribuitur, ratio non patitur, ut Chriſtum pro nobis, *i. e.* noſtrâ vice, Legem naturæ humanæ communem impleſſe dicamus.

Joh. 5. 24. & 6. 47, 54, 56. Heb. 9. 15.

Gal. 2. 21.

Proſpicio adverſarium retorturum telum in faciem meum, hoc modo; Si (ſecundùm Hypotheſin propoſitam) Morte Chriſti perfectè juſtificemur, (& hoc verò adverſarius non negare poteſt ſine contradicendo Verbo Dei)

Dei) tunc non Christianum oportet solicitum esse de Legis observatione; sed hoc toti doctrinæ Evangelicæ repugnat. Inconseqentia igitur Propositionis est manifesta. S. *Joannes* nodum expedit. *Filioli*, inqit, *hæc vobis scribo, ut non peccetis: quod siqis peccaverit, Advocatum habemus, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Officium Christiani est semet intaminatum servare pro viribus. At omnes non modò olim peccavimus in statu carnis, sed nunc etiam in multis delinqimus. At hoc est discrimen Legis operum, sub qâ jacuimus, & à Lege gratiæ, sub qâ sumus, qod illa Lex obedientiam exegit, neqe peccati remedium obtulit; hæc obedientiam poscit, sed peccati remedium, Christi sacrificium expiatorium offert, qo peccator non liberatur à vinculo Obedientiæ, sed absolvitur à debito pœnæ. At instabit adversarius; Si metum pœnæ sustuleris, licentiæ peccandi frœnos relaxabis. Respondeo. Filii Dei didicerunt gratiam Dei non vertere in lasciviam. *Qi mortui sunt peccato*, inqit S. *Paulus, qomodo possunt adhuc in illo vivere?* Aliud est peccare, qod regenitus per imbecillitatem potest; aliud peccato operam dare, sive in peccato vitam agere, qod non potest, qia semen Dei in illo manet. Itaqe Doctrina Evangelica de Justificatione Antinomismum radicitus extirpat.

1 Joan. 2.1,2.

Rom. 6. 14.

Rom 6. 1,2.

1 Joh. 3. 9.

§ 13. Cæterùm Objectio duplex occurrit solvenda.

Object. duplex. 1. Qare à morti redempti moriuntur? Rom.8.1,2.10

Quest. 1. Si nulla sit nunc condemnatio illis, qi sunt in Christo Jesu, qos Lex Spiritualis vitæ liberavit à lege peccati & mortis, qâ ratione redemptus Domini sanguine morti etiamnum est obnoxius? Etenim Apostolus utrumqe docuit. Non obstante immunitate à condemnatione, Corpus est mortuum (*i. e.* moriendi necessitate obstrictum) ob peccatum, sed Spiritus est vita per justitiam.

Resp.

Resp. Christi pro peccatis mortui fructus proximi sunt Justificatio, & Reconciliatio, & à Maledicto Legis liberatio. Ultimus verò, est hostis ultimi destructio, scil. Mortis. Hanc Christi victoriam completam Deus nostræ Salutis Autor & Arbiter ad extremum Judicii diem distulit. Interea, peccato qod est mortis stimulus sublato, maledictio morti annexa tollitur, & mors filiorum Dei non est Judicis irati vindicta, sed nuncia Patris in Christo conciliati, qæ ad mansiones Pacis in domo paternâ illos vocat & ducit. Ideò Christus morte suâ à mortis metu fideles liberat, qoniam mors qæ animam à corpore divellit, hominem à Dei amore in Christo non separat. Mors Christi maledicta nostram vertit in benedictionem.

1 Cor. 15. 20. *Ultimus Christi mortis fructus est mortis destructio perfecta.* 1 Cor. 15. 34, 35. Heb. 2. 14. Rom. 8. 37, 38, 39. *Vid.* Apoc. 14. 13.

Quæst. 2. Si fideles à peccatorum reatu perfectè justificentur, qare illos oportet peccatorum remissionem rogare? *Mat.* 6. 9, 12.

Object. 2. *Quare justificati peccatorum remissionem à Deo orant?*

Resp. 1. Hic animadvertenda est differentia inter Justificationem & Remissionem peccatorum manifesta. Remissio peccatorum est non exactio pœnæ qam peccator commeruit, & est graduum capax, item à Justificatione separabilis. Deus qibusdam peccata, saltem ex parte condonat, qos non justificat. Alios justificat, qorum peccata impunè abire non sinit. Exemplis hoc patebit. Israelitæ Incredulitate, Diffidentiâ, Murmuribus, Idolatriis, Rebellionibus apertis, Dei iram sæpè provocarunt ad Populi Perditionem subitaneam, & internecionem, paucis admodùm exceptis. Deus autem interdum *Mosis* intercessione, interdum populi ipsius à Deo icti precibus motus, vel potiùs ex misericordiâ suâ, & ob suum ipsius honorem, populo hypocritico, qi Deum animo non recto, sincero, & secundum Deum contristato qæsivit, pepercit, iram cohibuit, & non totam effudit, & peregrinatione redintegratâ pœnitentiæ ad salutem spatium dedit. Certùm est multos,

Resp. 1 *Justificatio distinguitur à remissione peccatorum.*

Exod. 32. Numb. 14. 18, 19. Psal. 78. 34-38.

qibus Deum condonaſſe dicit Vates, non fuiſſe juſtificatos. Vice verſâ Deus *Moſen* & *Aaronem* ab ingreſſu *Canaanis* ſecluſit, eorum delictis offenſus, qos tamen juſtificatos fuiſſe Chriſti Sanguine nemo Chriſtianus ambigit. Apoſtolus dicit qoſdam Chriſtianos ob peccata ſua, & ſpeciatim ob indignam Euchariſtiæ ſumptionem, morbo lethali ictos conſilio Dei gratioſo fuiſſe, ut caſtigati reſipiſcerent, & cum mundo non condemnarentur. *Nathan Davidi* ad peccati ſui confeſſionem pœnitentem adacto in Dei nomine Pacem dedit, dicens, *Deus peccata tua abſtulit; non morieris: h. e.* neqe morte afficieris, qæ lege Dei adulterio, & homicidio, etiam ſimplici, & multo magis conjunctis fuit debita; neqe mortem æternam ſubibis. Deus tamen hæc *Davidis* crimina inulta non ſivit, ſed pœnis gravibus *Davidem* ſeverè caſtigavit, ob ſui honoris apud gentes reparationem, & *Davidis* ab errore recuperationem, & ſordium animæ expurgationem. *David* igitur in pœnitentiæ ſuæ monimento poſt pacis annunciationem, mundationem à peccato, cor renovatum, & pacem cum Deo enixè petiit, & iram Dei deprecatus fuit, ut ſi fieri poſſet judicia denunciata vel averterentur, vel ſaltem mitigarentur. Hinc liqet Juſtificationem ad vitam æternam eſſe rem aliam à peccatorum remiſſione, & juſtificatis rationem reſtare, qare remiſſionem peccatorum rogent.

Num. 20. 12. & 27. 13, 14. Pſal. 106. 32, 33.

1 Cor. 11. 30, 32.

2 Sam. 12. 1-14.

Pſal. 51.

Reſp. 2. *Filii Dei iram paternam deprecantur.*

Reſp. 2. Animadvertendum etiam eſt, qos Chriſtus hanc Orationem docuit, & uti illâ juſſit. Diſcipulis ſuis illam præſcripſit, qæ filii Dei fuêre, & Spiritus Sanctus motu & ope clamarunt *Abba* Pater, vel ſi non adoptionis Spiritum fide accepiſſent, ſaltem externâ confœderatione & profeſſione fuêre filii Dei. At prioris ſortis Chriſtianis, qi in fide, qâ juſtificantur, orare poſſunt, hæc oratio eſt maximè idonea. Deus enim conſilio ſapientiſſimo filiorum ſalutem æternam ita diſponit, & promovet,

movet, ut in hoc ſeculo non ſint omninò ἀναμάρτητοι, ſed ſub veniâ, & ſub diſciplinâ vivant. Deus autem dupliciter eſt ſpectandus reſpectu filiorum, ſcil. ut mundi Judex juſtus, & ut Pater ſuorum benignus & prudens. Peccata filiorum non minùs, imo magis quàm exterorum, Dei Patris iram incendunt. Ideóque filios non impunitos pergere ſinit, ſed & ſuo honori & filiorum ſaluti in caſtigatione tempeſtivâ & moderatâ conſulit. Deus cum illis non urì Judex agit, ſed ut Pater. Deus etſi peccata qædam in hoc ſeculo puniat, nè nulla putetur Providentia: ſed non omnia punit, nè nullum credatur Judicium futurum. Multorum igitur peccatorum judicatio differtur ad magnum Judicii univerſalis & completi diem. Verùm filios ſuos Pater judicat in hoc ſeculo, ut in illo die non condemnet. Caſtigat ut ſanet, & ſervet. Virga etiam Patris clementis differt à flagello irati Judicis, in modo & menſurâ. Filius guſtabit calicem amarum iræ divinæ, qi temperatur, ut ſit Pharmacum ſalutiferum. Sed hoſtes Dei calicem furoris ebibent, & fæces exhaurient. Tantum autem aloës aut abſynthii huic calici infundet Deus, qantum filii humiliationi, purgationi, & recuperationi ſufficit. Filius ſibi maleconſcius, & ex peccati veterno expergefactus, ut vias ſuas conſideret, juſtam inveniet rationem occurrendi Deo per reſipiſcentiam, & orandi ut vel virga divertatur, vel amoveatur. Dei ira etiam paterna eſt tremenda, & pax cum Deo eſt vitæ hujus amœnitas. Dei favor eſt ipsâ vitâ melior; hoc Dei ſervi ſatis norunt, ſiqando Deus vultum ſuum ab illis abſconderit. *David* expertus eſt, qot lachrymis & precibus illi conſtiterit favoris Dei peccato amiſſi recuperatio. Adde qod Diabolus immiſcet ſe non modò tentationi, ſed etiam afflictioni, & de ſtatu ſuo toto Chriſtianum lapſum dubitare moveat, ut ad Deſperationem à Dubitatione impellat. Itaqe hoc modo peccati onere gravati, &

Eccleſ. 7. 20.

Pſal. 9. 16. & 58. 10, 11.

Ἰατρεῖα κόλασις, Ariſt.

Heb. 12. 5-11. Pſal. 38. 1. Jer. 10. 24. Eſa 28. 8, 9. Jer 29. 15, &c.

Pſal. 75. 8.

Pſal. 30. 5. & 63. 3. & 4. 6, 7.

Conſcientias ſaucii filii Dei oratione hâc opus habent, ad animæ vulneratæ & ſemimortuæ medicamen.

Reſp. 3. *Lapſi peccatorum veniam rogant, ut priora delicta in memoriam non revocentur.* Exod. 32. 34.

Reſp. 3. Filii Dei lapſi remiſſionem peccatorum petunt, ut Deus delictorum antiqorum adverſus illos non reminiſcatur, & verbera multiplicet. V. *Pſal.* 79. 8. Deus vituli aurei ſcelus Iſraëlitis condonavit, attamen comminatus fuit in die viſitationis illud peccatum ſe animadverſurum eſſe. Judæis ſermo fuit proëmianus, in omni gentis illius calamitate unciam unam fuiſſe Vitulini pulveris. Orandus igitur eſt Pater, ut ſumpto flagello ad filii correctionem priſtinorum peccatorum recordari nolit.

Reſp. 4. *Filiationis & Juſtificationis collatio.* * Joh. 1. 12. Gal. 3. 26.

Reſp. 4. Summatim rem totam expediam. Par eſt ratio Juſtificationis, & Adoptionis, qarum utraqe Chriſti morti maledictæ, & ex noſtrâ parte * fidei tribuitur. *Adam* primus juſtitiâ ſimul & dignitate filiali excidit: *Adamus* ſecundus hominem lapſum ad utramqe Sanguine ſuo reſtituit. Fide autem in Chriſtum Jeſum & juſti ſimus, & filii Dei. Jus ad vitam æternam immediatè ſeqitur Juſtitiam. *Juſtus enim ex Fide vivet.* Jus hæreditatis immediatè ſeqitur Adoptionem, *Si Filii, etiam Hæredes.* Obedientia conſtans Filium Dei non facit, ſed decet, & demonſtrat. Qamvis autem vitæ ſpiritualis ſemen incorruptibile (*i. e.* Spiritus Chriſti, *Joh.* 3. 6. ſive verbum Spiritu imprægnatum, *Jac.* 1. 18. 1 *Pet.* 1. 23.) in filiorum Dei cordibus maneat, ideoqe à Deo genitus peccato operam dare non poſſit, attamen in peccatum aliqando incidere poteſt, partim Satanæ aſtu tentatus, partim ob ſuum ipſius neglectum vigilantiæ, & fidei imbecillitatem, & fortitudinis defectum, tentationibus cedens. Qodſi filius Dei tranſgreſſione gravi occupetur (ut Apoſtolus loqitur) pœnitentiæ ſpeciali opus, eſt ut reſtituatur; & Sanguis Chriſti denuò eſt Fide applicandus; Hyſſopo (ut *David* ait) Chriſti Sanguine tincto, peccator eſt luſtrandus ut nive candidior fiat, & Deus

Rom. 8. 17. Gal. 3. 29.

Joh. 4. 14. 1 Joh. 2. 27. & 3. 9.

Gal. 6. 1. Apoc. 2. 5. 1 Joh. 1. 2.

Deus meritò infensus propitietur. *Davidis* hymnus pœnitentialis fuit Spiritus S. fluentum, qi in corde mansit, tanqam fons aqæ prosiliens ad vitam æternam. Ipse tamen ita se gessit, acsi statu gratiæ penitus excidisset, prout ejici meruerat, & Dei vultus lumine gratioso subtracto in spiritus sui amaritudine incessit, donec Deus faciem serenam eluceſcere voluit, & favoris divini sensu illum recreavit. Hoc solatium ut impetraret, pœnitentiæ ac fidei exercitio severo opus fuit. *Petri* etiam casus rem totam illustrat. *Petri* lapsum Christus non modò prævidit, qando prædixit, sed etiam ordinavit. Satanæ institutum de cribrando omnes Discipulos novit, sed sapienti consilio *Petrum* de viribus suis præfidentem tentationi speciali exposuit. *Petrus* animo sedato novit confessionem Christi intrepidam, etiam cum vitæ discrimine discipuli esse officium; negationem pusillanimem esse crimen horrendum. *Petrus* verò in tentationis horâ hujus immemor, animo à Satanâ turbato, & suæ jactationis oblitus, succubuit tentationi, & Magistrum non semel, sed ter, non simpliciter, sed cum sui anathematismis dixis, abnegavit. Nihilominùs Christi oratio, qam Pater semper exaudit, ut *Petri* fides non deficeret, Satanæ tentationi præpolluit, ut illa infirmitas non esset ad mortem. Hæc procella confessionis folia excussit; Fidei radicem non extirpavit. Sicut Christi manus *Petrum* in mari ambulantem, sed tempestate obortâ ob fidei defectum subsidentem, prehendens elevavit & sustentavit: Sic Christi oculus in *Petrum* reflexus fidei pænè extinctæ τὸ ζάπυρον scintillam languidam refocillavit. Galli cantus è somno *Petrum* suscitavit, & Christi verba in ejus mentem revocavit. Ilicò igitur exiit ex aulâ, ut esset pius, & in secessu seipsum recolligens amarè flevit. Christus *Petrum*, non ut *Lazarum* resuscitavit à morte ad vitam, sed morti proximum restituit ad sanitatem & robur. Non est jam ambigendum fide justificatum

Luc.22.31,32.

A Christi intentione Pontificii toto cœlo aberrant, qi Christum Infallibilitatis donum Petri *impetrasse aiunt, qando Perseverantiæ dono* Petrus *indiguit, qi in Sacerdotis cathed. â non sedit ut Doctor, sed an Christi Discipulus esset, examinatus fuit.*

Mat.14.30,31.

Luc.22.61,62.

catum eo de modo labi posse, ut remissionem peccatorum, non modo incursionis qotidianæ, sed etiam conscientiam vastantium, rogare oporteat. Frustra erit, qisqis *Petri* casum singularem fuisse, & nostrâ nihil referre dixerit. Nam sicut *Paulus* ad fidem conversus in S. Scripturâ prostat peccatoribus misericordiæ divinæ exemplar illustre: Sic *Petrus* Christianis lapsis Gratiæ Dei sufficientis, & Christi clementiæ monumentum insigne memoriæ mandatur ob nostram instructionem, & consolationem, in diebus novissimis.

1 Tim. 1. 15, 16.

§ 14. *Medium Justificationis ex parte hominis, Fides in Jesum Christum crucifixum.*

Pergo jam ad Medium, qod Deus ex parte hominis instituit ad Peccatoris Justificationem, & à condemnatione immunitatem. Apostolus *Paulus*, qi hanc qæstionem consultò & accuratè tractat, disertè docet, nervosè probat, & acriter contendit, hominem lapsum, & peccati reatu implicitum, cujuscunqe gentis sit, unicâ viâ Justificari, scil. Fide, absqe Operibus. Conclusionis partes sunt duæ, una Affirmativa, & altera Negativa. Fidem modò succinctè nominat, modò illi objectum addit, idqe alibi latius, ut ex omnibus locis collatis completum Fidei justificantis objectum colligatur; *e. g.* Justificamur *(a)* Fide, *(b)* Fide Jesu, *(c)* Fide Christi, *(d)* Fide Jesu Christi, *(e)* Fide in Christi Sanguine. Opera, qæ secludit à Justificatione, modò *(f)* absqe limitatione ponit, modò *(g)* Opera Legis nominat. Verùm Fidem & Opera esse in hoc negotio ἀσύγκριτα perspicuè docet. Utramqe conclusionis Apostolicæ partem singillatim explicabo.

Rom. 3. 28.

a Rom. 5. 1.
b Rom. 3. 26.
c Gal. 2. 16.
d Rom. 3. 22.
e Rom. 3. 25.
f Rom. 4. 2, 6.
g Rom. 4. 8.

Conclusio Affirmativa. Fide justificamur.

1°. Affirmat nos Fide justificari. Ad hujus intelligentiam considerare nos oportet, 1° Objectum Fidei. 2°. Actum Fidei. 3° Modum, qo Fides nos justificet. Objectum Fidei sub œconomiâ Evangelii novissimâ proximum est Jesus Christus crucifixus, qi Sacrificio suo peccatum mundi sustulit. Hoc inter *Adami* integri, &

1. Fidei objectum proximum Filius Dei crucifixus Fœderis novi Mediator.

lapsi

lapsi fidem interfuit, qòd *Adam* sub Lege Operum Dei verbo modo qolibet revelato credere, Præceptis, Promissis, Ministque pariter assentiri, & fiduciam in Deo de promissorum secundum fœdus illud acceptione ponere. Fides in Deo immediatè terminata fuit. At hominis lapsi, qi non sine Mediatore novi Fœderis ad Deum accedere potest, fides dirigitur ad Mediatorem & Sponsorem, qi mundi conciliationem in se recepit, & per illum in Deum tendit. Qia Christus est **via* recens, qâ ad Deum accedimus, ideò † fidimus per Christum in Deo, qi *suscitavit illum à mortuis*. Deus Pater, & Christus Filius Dei est Fidei objectum completum, ut Christus discipulos suos docuit; || *Nè perturbetur*, inqit, *cor vestrum*, (instar maris vento fluctuantis) *confiditis in Deo, confidite etiam in me.* Notandum est etiam discrimen inter Fidem Patriarcharum, & sub Lege Mosaicâ degentium, atqe Fidem Christianorum sub Evangelio. Illi fuêre * hæredes Justitiæ secundum fidem Christi promissi, qi suo sanguine in tempore præstituto Redemptionem æternam comparaturus fuit. Hi verò Fide Christi jam exhibiti, qi Sacrificio suo peracto peccata expiavit, justificantur. Hoc S. *Paulus* voluisse videtur, qando dixit, in Evangelio Justitia Dei revelatur ex Fide ad Fidem, sicut scriptum est, *Justus ex Fide vivet:* Hoc testimonio Prophetæ Apostolus utitur alibi, ut probet homines qosvis unicâ viâ justificari, scil. *Non ex Lege*, sed *ex Fide*, sive Christi antecessores fuerint, sive coëtanei, sive posteri. Itaqe Justitiam Dei eandem esse concluditur in omnibus sæculis ex fide scil. Sed fide in Christum nascturum & passurum provectâ ad fidem in Christum jam natum & passum. Objectum igitur Fidei Evangelicæ proximum & proprium est Filius Dei incarnatus, qi nomine cœlitus impositio insignitur, nempe *Jehoshuah*, (qod *Græci* Interpretes V. T. contraxêre in, τὸ Ἰησοῦς) Jesus, unicus Mediator Dei & hominum, qi seipsum

Objectum ultimum est Deus, fœderis gratiæ author.

* Joh. 14. 6. Eph 3 12. Heb. 10. 20, 21, 22.

† 1 Pet 1 21.

|| Joh. 14 1.

* Heb 11. 7.

Abak. 2. 4.

Gal 3. 11.

ſeipſum Deo Patri in Cruce obtulit, ut eſſet mundi ἀντίλυτρον. Sicut oculus Iſraëlitarum à Preſteribus ictorum directus fuit in Serpentem æneum in palo elevatum, ut ſaucii dolorum levamen, & ſanitatem inde haurirent. Aſpectus Solis, alioqin amœnus, nihil ad ſalutem profuit, ſed Serpentis intuitio ad illum effectum fuit inſtituta: Sic oculus Fidei figendus eſt in Filio Dei in Crucem ſublato, ubi factus fuit Holocauſtum.

Joh. 3. 14, 15. Ὁ θεωρῶν, *Filium & credit in illum*, &c. Joh. 6. 40. *Hebræa vox* עילה, *qæ Holocauſtum denotat, ab exaltatione derivatur.*

2°. Ab Objecto ad Actum Fidei pergo. Actus Fidei proprius, qo Chriſti Sacrificii participes ſumus, & Juſtitiam ex Chriſti Satisfactione aſſeqimur, eſt fiducia in Chriſto, ſive in Deo per Chriſtum, qod nos à peccato & morte liberati ſumus per Chriſti Sanguinem, & promiſſas benedictiones Fœderis novi per Chriſtum in tempore accepturi ſumus. Cognitio Dei veri & Jeſu Chriſti qem Pater miſit, & Fœderis Evangelici, eſt Fidei ſalutiferæ prodromus neceſſarius, & * comes inſeparabilis. Ideóqe cognitio Metonymicè ponitur interdum pro Fide, Antecedens pro Conſequente: Dominus dicit, per cognitionem, vel agnitionem illius, qi illorum iniqitates portavit, *Servus meus multos juſtificabit.* Porrò Fides, prout vox notat creditionem, qâ mens veritatis vi victa myſteriis Fidei aſſenſum præbet, eſt Fidei ſalutiferæ prævia, ſed non ſufficit ad ſalutem. *Simon Samarita*, Magiæ inſignis artifex, qi dæmoniorum vires novit, qando *Philippum* verbum Evangelicum Miraculis veris creaturarum omnium potentiam ſuperantibus confirmaſſe vidit, tantæ veritatis evidentiæ ceſſit, & verbum perinde à Deo eſſe profectum, atqe opera vi divinâ fuiſſe peracta credidit, & fidem profeſſus Sacramento fidei externo fuit in Eccleſiam receptus. Verùm poſt *Simonis Petri* adventum, cordis ſubdoli pravitatem patefecit, & non obſtante Fide, * qæ dæmoniorum de Deo & Chriſto creditionem non tranſcendit, in felle amaritudinis manſit.

2. *Actus fidei in Chriſto qo juſtificamur eſt Fiducia.*

Ἄνευ γνώσεως οὐκ ἔστι πίστις, Clem. Alex. * Joh. 6. 69. Eſa. 53. 11. *Confer* Joh. 17. 3.

Act. 8. 8-21.

* *v.* Jac. 2. 19. Mar. 1. 23, 24.

Deſi-

Desiderium etiam salutis, quod creditio excitat, longè citra Fidem salvificam sistit. *Balaam* Ariolus clarâ Dei revelatione persuasum sibi habuit, populo Dei omnia prosperè cessura, non modo in hoc seculo, sed etiam in futuro, & de Christo etiam ex *Israële* orituro, ad instar Stellæ cum Sceptro, vaticinatus fuit: Itaqe optavit Justi mortem obire, & novissima sua illorum fini esse paria. Verùm præmii amor, & in illud animus effusus obstitit, qo minùs in Christo vel Deo fiduciam de salute poneret.

Num. 23. 10. & 24 17,19.

Qoniam *Græci* Scriptores Ecclesiastici unam vocem πιστεύειν & πίστις usurparunt ad credentiam & fiduciam in variis locis significandum; ideò qidam confuderunt res duas, qas in genere rerum à se mutuò dissitas esse, eruditi satis norunt. Sæpè Præpositio εἰς, ἐπὶ, ἐν addita verbo πιστεύειν, & aliqoties adjectio plenior, scil. credere in nomine Christi, discriminat Fiduciam à Creditione. Sed non me fugit, hanc regulam non esse universalem. Attamen sæpissimè vim obtinet. Hinc non est contemnenda Theologorum distinctio; Aliud est credere Deum, aliud est credere Deo, aliud est credere in Deum.

Fides, i. e. *Credentia, est assensus animi Dei verbo de rebus præsentibus, præteritis, futuris, bonis, malis. Pariter Fiducia est voluntatis acquiescentia in Deo de beneficio vel præsenti, vel futuro.*

* *Analogia Fidei non est constans tenor doctrinæ in S. Scripturis Evangelicis traditæ. Hæc n. ab Apostolo non proponit Doctori, qem Officii sui monet, v. 7. sed Prophetæ. Deinde Scripturæ Evangelicæ Canon non fuit completus, & Ecclesiis omnibus communicatus, qando Apostolus ad* Romanos *scripsit, unde Prophetæ doctrinæ Systema potuisse colligere. Denique aliud est* ὑποτύπωσις *verborum sanorum*, 2 Tim. 1.

Fiducia verò in Christo qâ justificamur congener, & qoad actus naturam, eadem est cum illâ, qâ pii Dei servi salutem & victoriam obtinuerunt, qorum exempla varia Apostolus congessit in cap. 11. Epist. ad *Hebræos*. Fides Patrum fuit voluntarius amplexus Dei promissorum vel generalium, vel specialium, & acqiescentia submissiva in Deo suæ Salutis, (*i. e.* in Deo suo Servatore) cum innitentiâ in Dei Misericordiâ, Veritate ac Potentiâ, qibus integris Deus illos deserere non potuit. Theologus nostras Clariss. * Dr. *Thorndikius* observavit Ana-

13. *Forma doctrinæ*, Rom. 6. 12. *Una fides sanctis tradita semel*, Jud. v. 3 *& semper uti depositam pulcrum & pretiosum custodienda*, 1 Tim 6.20. & 2 Tim. 1. 14. *Aliud est Analogia Fidei, sive correspondentia Legis cum Evangelio, qæ Apostolo Prophetis observanda proponitur.*

logiam esse inter statum populi Dei externum in priscis seculis, & statum spiritualem Ecclesiæ, qam Apostolus statuit esse normam prophetandi, *Rom.* 12. 6. Monet Christianos Prophetas sui seculi,qando dona Spiritus extraordinaria floruerunt, gratiam Prophetandi, *i. e.* Prophetias V.T. explicandi & applicandi,exercere secundùm analogiam Fidei, per qam intelligit proportionem inter res gestas in divinâ administratione populi Dei antiqi, & Ecclesiæ Evangelicæ res spirituales. Ipse *Paulus*, & alii Scriptores Novi Testamenti hanc regulam freqenter adhibuerunt. Hâc authoritate Apostoli fretus fidem Patrum cum fide Christianorum confero. In V. T. 1°. Præcepta hujus fiduciæ occurrunt, e. g. *Psal.* 37. 3. & 130. 7, 8. *Esa.* 26. 4. 2°. Promissa benedictionis & salutis, non modò secularis, sed etiam æternæ annectuntur fiduciæ in Deo, & speciatim in Christo, eo nomine qia homines fidunt in Deo. V. *Psal.* 34. 22. & 37. 5, 40. *Prov.* 29. 25. *Psal.* 2. 12. *Esa.* 26. 3. & 25. 16. *Jer.* 17. 5-8. 3°. Hæc fiducia commendat *Psal.* 115. 8, 9. 4°. Deniqe exempla extant pænè innumera servorum Dei, qi cum successu fœlici in Deo salutis fiduciam posuêre. V.2 *Chro.* 13. 18. & 20. 12, 20, *&c. Dan.* 3. 17, *&c.* qorum spicilegium non parvum Apostolus collegit in loco laudato. Cæterùm in hâc fiduciâ tria concurrunt. 1°. Credentia Promissionis divinæ. 2°. Fiducia in Promissore. 3°. Expectatio beneficii promissi. Hinc usu venit, ut in S. Scripturâ, Credere, Fidere, Sperare, indifferenter ponantur pro Fiduciâ in Deo. Spiritus Sanctus etiam Metaphoris elegantibus utitur sumtis à rebus seculi hujus qæ sunt sensibus familiares, ad hanc rem Spiritualem nobis repræsentandam; harum Metaphorarum usum qi sugillant, blasphemi sunt Religionis irrisores. Scriptura Deum & Chr stum sæpè Rupi confert, prout est ædificii fundamentum, & prout est locus perfugii, & tutelæ ob ejus muniti nem, aut secretum; item turri excelsæ & forti;

forti; item omnibus vel locis, vel armis defenſoriis, qæ ſecuritatem præſtare poſſint. Fiducia autem in Deo deſcribitur per actiones illis accommodatas. Pari ratione Deus ſcipioni, qi ſtantem vel ambulantem ſuſtentat, comparatur, & Fiducia eſt innitentia animi in Deo. Hæc Scripturæ Phraſeologia freqens ſatis oſtendit Fidem in Chriſto Jeſu de ſalute eſſe Fiduciam.

Porro Fidei ſanctæ, ſive fiduciæ piæ natura, qoad animi affectum & actum exercitum, rectè colligitur, ſi comparetur cum fiduciâ illicitâ, cui ſæpè in Scripturâ S. opponitur. Etenim ſicut Amor, & Timor, qoad animi motum ſive affectum, eſt idem, ſive objectum ejus ſit Deus, ſive Mundus: Sic Fiducia eſt ejuſdem generis, qando homo qærit, expectat, & confidit ſe adepturum felicitatem, aut tutelam, ex creaturis; (ſicut Aurum eſt avari ſpes & fiducia) & qando in Deo ſolo confidit de ſalute & beatitudine ſuâ. Fiduciæ igitur natura, qando Fidem in Chriſto per illam definimus, non eſt inextricabilis, ſed virtus tam facile intelligitur per Spiritus S. dialectum; qàm vitium, præſertim cùm de rebus humanis more humano etiam ad vulgi captum loqitur. Job 31. 24.

Deniqe Fides illa, qæ corporis ſanitatem, immo non modo membri aut ſenſus unius reſtitutionem, ſed etiam mortuorum reſuſcitationem, à Chriſto & Apoſtolis in Chriſti nomine operantibus multoties impetravit, de qâ Chriſtus ſæpe dixit illis qos ſanavit, * *Fides tua te ſalvum fecit*, eadem eſt qoad actum ipſam, atqe illa qæ

* *V.* Luc 8. 48. & 17. 19. & 18. 42. Act. 3. 16. & 4. 12.

Obiter notandum eſt, mulierem illam aliam fuiſſe à Mariâ Lazari *ſorore, qæ Vitæ infamis non fuit, &* Simoni, *qi Chriſtum cum* Lazaro *convivio ſplendido excepit* Bethaniæ, *in qo oppido* Lazari *familia fixa fuit, probè nota, non ob vitam flagitioſam, ſed ob pietatem inſignem. Itaqe* Simonis *Phariſæi, qi Chriſtum alio tempore & loco invitavit, ſermo de peccatrice famosâ,* Mariæ, *qæ paucis ante Chriſti paſſionem diebus Nardi pyxidem in caput & pedes Domini profudit, omninò non convenit.* Mariæ Magdalenæ *etiam famam iniqè conſpurcant, qæ fuit fœmina dives & nobilis, & poſtqam Chriſtus ex illâ Dæmonia ſeptem ejecerat, Domini conſtans aſſecla fuit, & ex opibus amplis illi miniſtravit, neqe unqam à Chriſto dimiſſa fuit, qotqot hanc mulierem fuiſſe* Mariam *indicant.*

peccatorem juſtificat, & ſalutem æternam adipiſcitur. Quod Chriſtus Hæmorrhoiſſæ dixit, idem mulieri peccatrici ἀνωνύμῳ, qæ animi ſalutem à mundi Servatore petiit, dixit, *Fides tua te ſalvam fecit: Abi in pace.* Conſtat ex Hiſtoriæ ſerie mulierem hanc non tunc primò ad Chriſtum acceſſiſſe, ſed ad dilectionem & gratitudinem erga Chriſtum, qi illi multa peccata dimiſerat, teſtandam, unguentum comparaſſe, qo Chriſti pedes ungere ſtatuit. Sed occaſionem nacta pœnitentiæ publicæ indicia edidit, & Chriſtus illi publicè pacem dedit. Notandum autem eſt, Chriſtum ſalutem neqe Pœnitentiæ, neqe Charitati, ſed Fidei tribuiſſe, ſicut Hæmorrhoiſſæ, non pietati, ſed fidei ſalutem tribuit. Jam qid aliud fuit Centurionis, *Syro-phæniſſæ*, & aliorum fides, qàm fiducia de Chriſti potentiâ & miſericordiâ, per qam beneficii deſiderati ſe compotes fore ſperarunt. Pariter Fides qâ peccato juſtificatur, eſt fiducia in Chriſto & in ejus ſanguine, per qem à peccatis omnibus ſe abſolutum eſſe fidit.

His præmiſſis, Actum cum Objecto conjungamus. Comperiemus Fidem juſtificantem eſſe fiduciam in Chriſto ſolo, Mediatore & Redemptore, de Juſtitiâ, peccatorum Remiſſione, Pace, Vitâ æternâ, Hæreditate cœleſti, & omnibus beneficiis qæ Deus in Novo Fœdere nobis per Chriſtum pollicetur, accipiendis. *Abrahami* exemplo hoc illuſtrare eſt operæ pretium. *Abraham* proponitur utì fidelium in ſeculis poſteris omnibus, ſaltem poſt Iſraelitarum à Gentibus ſeparationem, & poſt Gentium vocationem, Pater: & illius Fides eſt Chriſtianorum omnium Fidei exemplar, reſpectu circumſtantiæ temporis ante & poſt Chriſti adventum habito. Fides, qæ *Abrahamo* reputata fuit à Deo ad juſtitiam, non fuit creditio Verbi Dei generalis, ſed (ut ex Apoſtoli commentariis in hiſtoriam *Moſis* liqet) amplexatio promiſſi de ſemine benedicto, & benedictionis ad omnes gentes promanaturæ

turæ fonte, cum fiduciâ ſupra ſpem omnem qam natura præbuit, qòd Deus illi ſemen, ex corpore ſuo ſenili, & utero *Saræ* effœto, ſuſcitaturus foret. Fidei & Spei hujus objectum fuit duplex; 1°. Semen benedictum, in qo omnes gentes forent benedictæ, ſcil. Chriſtus, ex *Iſaaco* oriundus, cujus natalem diem videre geſtiit, (*Joh.* 8. 56.) 2°. Benedictio ipſa, qam Chriſtus Morte ſuâ impetraturus fuit, nempe Juſtitia, Vita æterna, & hæreditas cœleſtis. Hæc Fides fuit radix Obedientiæ, qam *Abrahamus* mandato Dei de *Iſaaco* manu ſuâ mactando præſtitit. Cæterùm Fiducia in Deo de promiſſo Semine accipiendo, & qamvis in cineres verſus fuiſſet recipiendo, & de benedictione per Chriſtum adipiſcendâ, neqe qicqam aliud, reputata illi fuit ad Juſtitiam. Noſtra jam Fides reſpicit Chriſtum à Patre miſſum, & à mortuis reſuſcitatum, ſed par eſt fiducia in Deo & Chriſto de benedictione eâdem accipiendâ. Itaqe, neqe Chriſtus, neqe Evangelium, ſed Fides cujuſqe ſua Chriſtianis reputatur ad Juſtitiam. *Vide* Gal. 3. 6, 7, 8, 9.

3. Etſi de inſtituto Dei, qi nos per Fidem juſtificat, nobis jam certis diſqiſitio de modo ſupervacanea videatur, qia non eſt multum abſimilis *Nicodemi* qæſtioni de Regeneratione, *Qomodo poſſunt hæc fieri?* Aut ſtulti qæſtioni de Reſurrectione, *Qomodo mortui ſuſcitantur?* Attamen Scripturæ lumen ſeqens, modum Juſtificationis ex Fide conabor explicare. Hic etiam gradatim incedam. 1°. Conſtat peccatores Obedientiâ ſuâ non poſſe juſtificari, ſed opera aliena indigere ad Juſtificationem. 2°. Chriſti Obedientia ſatisfactoria pro peccatoribus à Deo ad hoc inſtituta fuit, & valet. 3°. Hæc aliqo modo peccatoribus communicanda eſt, ut illorum interſit, & illi titulum ſive jus ad Chriſti Satisfactionem habeant. 4°. Hoc Jus dono Dei gratuitò ſub conditione Fidei impertitur. 5°. Unio Chriſti capitis cum membris eſt fundus & ratio communicationis reciprocæ, per qam peccata

3 Modus qò juſtificamur ex Fide.

Joh. 3. 9.

1 Cor 15. 32.

peccata hominum Chriſtus in ſe ſuſcepit, & Chriſti
Rom. 5. 18. τὸ δικαίωμα (Lector hoc vocabulum vertat, ut lubet, modò
ſenſum retineat) ad homines transfertur. 6°. Fides illa,
qâ *Adamo* ſecundo inferimur, eſt medium, qo & Sacri-
Rom. 11. 17, 20. ficii & Juſtitiæ, qam Chriſtus morte ſuâ peperit, parti-
cipes ſimus. Ego qidem Metaphoras, qibus ὁλόγος ſermonem
ſuum ornat, in hac lubentiſſimè amplector, & à Magiſtro
Joh. 6. noſtro didici Fidem eſſe oculum ſpiritualem, qo Chri-
Qidam oculo carnis ὀφθῆναι, Chriſtum, ſed non credunt. Alii θεωρῆσαι & credunt. v. 36. & v. 40. *collatis.* ſtum crucifixum ſuſpicimus, & ex illo ſalutem haurimus;
item pedem animæ qo ad Chriſtum accedimus; & os
atqe ſtomachum qibus Chriſti crucifixi carnem edimus,
& ſanguinem bibimus, & Chriſto adeò intimè unimur,
ut nos maneamus in Chriſto, & Chriſtus maneat in nobis, & à Deo nobis factus ſit Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio & Redemptio.

Eſa. 45. 22. *Aſpicite, vel Reſpicite ad me, & ſervamini,* &c. *Hic Fides ſalvos facit.* Qamvis Deus in Miraculorum operatione inſtrumentis
uſus aliqando fuerit, qæ ad effectum deſtinatum produ-
cendum minimè idonea rationi humanæ viderentur;
(cives *Hierechuntini* minimè ſuſpicabantur buccinarum
arietinarum clangorem, vim Machinarum, qas *Arietes*
vocamus, ad mœnia tota ad cœlum pænè pertingentia,
qæ urbi circundata fuêre, ſolo in uno momento æqanda
habiturum.) Attamen in ordinariis cùm Naturæ, tum
Gratiæ adminiſtrationibus, mediis aptis utitur ad finem
ſuum aſſeqendum. Fidem Deus inſtrumentum idoneum
Salutis, & particulatim Juſtificationis elegit, de cujus
efficaciâ non eſt ambigendum, & de operandi modo non
Act. 3. 16. eſt litigandum. S. *Petrus* dixit, ***Fidem in Chriſto dediſſe viro ab utero per quadraginta annos claudo, integritatem membrorum.*** Eandem efficaciam Fidei ad juſtificandum
tribuimus, neqe agentis principalis potentiæ aut honori
qicqam detrahimus. Spiritus Sanctus non fruſtrà parti-
culis illis qæ efficaciam denotant utitur, qando Chriſtia-
num ex Fide, & per Fidem, *&c.* juſtum eſſe & juſtificari
crebrò dicit. Qodſiqis Fidem Conditionem appellare
mavelit,

mavelit, per me licet, modo meminerit Fidem prædictam esse conditionem unicam Justificationis, qæ influentiam peculiarem, vel ordinem directum habet præ rebus aliis ad hunc effectum. *Nam corde creditur ad Justitiam, sed ore confessio fit ad salutem*, &c. Plures qidem sunt conditiones Christianismi: Tres præcipuè reqiruntur. 1. Resipiscentia, qæ etiam conversio ad Deum appellatur. 2. Fides in Christum Jesum. 3. Martyrii propositum. Hæc sunt officia purè Evangelica, homini non integro, sed post lapsum redintegrato congrua. Verùm neqe Amor, aut Timor Dei (*Adami* integri virtutes) neqe Pœnitentia aut Martyrium (Christiani officia) peccatori reputantur ad Justitiam, sed unica Fides hoc munus sortitur. *Saul Stephani* sanguine pollutus ab illius reatu purgatus fuit, non sui * Sanguinis ad instar libaminis effusione, sed per fidem in Christi Sanguine. Meritum Fidei perinde atqe Operum in Justificationis negotio detestor: sed munus illi peculiare, qod neqe faciendo, neqe Christi gratiâ patiendo tribuendum est, armis Apostolicis pro viribus defendo.

Rom. 10. 10, 11.

* 2 Tim. 4. 6. Phil. 2. 17.

§ 15. *Conclusionis pars Negativa. Ex Operibus non justificamur.*

Pergo igitur ad conclusionis *Paulinæ* partem negativam justificamur, inqit, *Fide, absqe Operibus*. Notandum est Apostolum Fidem & Gratiam pariter Operibus opponere, sicut Gratiam & Opera tamqam ἀσύζυγα in opposito statuere, in Electione, Salute, Vocatione & Justificatione.

Rom. 9. 10, 16. & 11. 5, 6. Eph. 2. 8, 9. Tit. 3. 5, 6, 7. 2 Tim. 5. 9. Rom, 3. 20-24. Eph 2. 4, 5, 6.

Object. Si Opera cum Gratiâ in salute assequendâ non consistant, qare Scripturâ duce Opera ad salutem esse necessariè asserimus?

1 Pet. 1. 3. 1 Joh. 3. 1, 2. Rom. 5. 9. & 8. 1. Joh. 3 36. & 6. 54.

Sol. Salus peccatoris est vel inchoata in hoc seculo, vel consummata in seculi hujus termino. Nos *nunc* servamur, & regenerati sumus, & filii Dei sumus, & justificamur, & vitam æternam habemus. Salus inchoatur in regeneratione & vitæ novæ inspiratione, qæ per Verbum

Verbum & Spiritum efficitur, & eſt Vocatio efficiens. Hæc in locis citatis Dei amori prævenienti, meræ miſericordiæ, gratiæ gratuitæ tribuitur, & non modò Operum meritum ſtrictim ſumptum denegatur, ſed etiam efficacia. Deus non omnes, utì Chriſtum *Saulem*, de cœlo vocat: verùm media inſtituit, qorum uſum à ſervandis poſtulat. Opera verò, qæ homines Evangelii præconio excitati, & Spiritus ope generali adjuti, præſtare debent, & poſſunt, ut ſalutis initium apiſcantur, ſunt à Deo ordinata via, qam omnes incedere oportet, ſed ipſum effectum, qod eſt opus omnibus creaturæ viribus ſuperius non attingunt. Nemo enim animam ſuam unqam vivificavit. Bona verò opera, qæ Filius Dei vitâ viribúſqe novis inſtructus, & * gratiâ Chriſti ad omnia ſufficienti roboratus præſtare poteſt, & nomine multiplici obligatur, ſunt via qam Deus περιεπάτησεν, antehac paravit, ut per illam ad cœleſtem hæreditatem ambulemus, utì S. *Paulus* docet eodem Spiritu, in eâdem ſententiâ, ubi operibus ſalutem derogat, ſed Gratiæ & Fidei in ſuo ordine tribuit. Nos igitur Deo obſeqentes dicimur, & jubemur operari noſtram ſalutem in timore & tremore, qanqam, immò qia Deus operatur in nobis & velle & perficere pro beneplacito, & non nos, ſed Gratia Dei qod illi acceptabile eſt in nobis facit, 1 *Cor.* 15. 10. *Heb.* 13. 21.

* 2 Cor. 9.8. & 12. 9. Phil. 4. 13.

Epheſ. 2. 10.

Phil 2. 12,13.

Gratia eſt principium activum, qod in ſolo noſtro non naſcitur, ſed cœlitus deſcendit, & agricolæ cœleſtis manu in corde humano ſeritur.

Porrò S. *Paulus* hujus œconomiæ rationem reddit à fine deſumptam, & à conſilio atqe propoſito Dei æterno, qod & Verbo & Opere patefecit, arguit. Deus omnia ſecundum propoſitum & voluntatis ſuæ operatur. Ante jacta mundi fundamenta, Deus de *Adamo* primo qid facturus eſſet ſecum ſtatuit, & *Adamus* ſecundus fuit προεγνώσμενος, in qo Deus miſericordiæ vaſa elegit, & prædeſtinavit ad Adoptionem in ſeipſo ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ: Ad laudem glorioſam gratiæ ſuæ, per qam nos gratioſos habuit in dilecto (*ſcil.* Filio):

Eph. 1.4,5,6.

In

In qo Redemptionem habemus, *&c.* Finis igitur consilii divini de hominis lapsi salute est gloria divinæ Gratiæ, qæ ideò illustrissimæ est, qia tota salus ex Dei beneplacito pendet. Licet enim vita æterna *Adamo* à Deo Legislatore promissa esset, sub conditione perfectæ Obedientiæ, in qâ administratione Justitiæ Domini & Patris Benignitas manifesta fuit; attamen qia homo suâ ipsius obedientiâ præstitâ præmium debitum ex fœdere operum postulaturus fuit: ideò Justitiæ divinæ gloria minor fuisset, qàm gloria gratiæ nunc splendet, per qam solam peccator mortem meritus ad justitiam & vitam æternam restituitur. Itaqe Deus per Fidem nobis hæreditatem confert, ut sit ex Gratiâ, & omnis gloriandi in seipso occasio homini præcidatur, siqidem non per suam, sed Christi Obedientiam justificetur ad vitam. Ex alterâ parte, si homo jam ex operibus suis justificaretur, homo in seipso gloriandi rationem habiturus esset. Hoc verò gloria Dei gratiæ non patitur. Homo igitur non justificatur ex Operibus. Fides autem, qâ peccator Christum sibi appropriat, & salutem suam integram Dei Gratiæ in Christo Jesu tantummodò acceptam refert, non sinit Christianum gloriari nisi in Christo crucifixo, *Qi est Dominus Justitia nostra*, ut Apostolus differit, qi de seipso profitetur, *Absit mihi, ut glorier nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Argumentum hoc apodicticum Apostolus illustret exemplo *Abrahami*, qi non justificatus fuit ex Operibus, ut gloriationem non haberet, sed ex Fide, per qam Deo gloriam dedit.

Rom. 4. 16.

Rom. 3. 27, 28. Eph. 2. 8, 9.

2 Cor. 1. 29, 30, 31.

Rom. 4. 2, 3, 20.

Hîc prætereunda non est oppositio, qam Apostolus statuit, inter Legem sive Fœdus Operum, & Legem sive Fœdus Fidei, respectu materiæ. Vi Legis *Adamo* integro datæ Deus poposcit Fidem etiam practicam, qæ parens & nuttix esset obedientiæ perpetuæ, & fiduciam in Deo Creatore & Legislatore unico, qi potens est servare & perdere. Verùm hoc fœdus vocatur Lex operum,

qoniam Vita est obdientiæ merces, & Justitia hominis ex suis ipsius operibus exoriturus fuit. Sed *Adamo* lapso, justitiâ ex operibus destituto, & mortis æternæ reo, Deus gratiosè Legem novam dat, qæ non ab obedientiâ illum absolvit, sed à sanctione mortis per Christi mortem liberat sub conditione Fidei in Christo Redemptore. Quodsiquis dixerit, Christianum nunc justificari ex Fide & Operibus junctim, sive ex operibus qæ ex fide tanqam radice germinant, tollit utriusqe fœderis differentiam. Pari enim ratione *Adam* integer ex Fide justificandus, & Christianus ex Operibus justificatus dici debet. Hoc qidem discrimen supererit inter duo Fœdera, qod *Adam* integer ex operibus, sed non nisi perfectis justificandus fuit, sed lapsus ex operibus imperfectis Christi gratiâ justificabitur. Hoc verò libero Lectori judicandum relinqo, numqid Apostoli conclusio, Homo justificatur à reatu peccati contracto ex fide absqe operibus, hanc doctrinam pepererit.

Object. *Object.* 1. At hic adversarii ogganniunt, 1°. Fides
Joh. 6. 28, 29. est opus Dei, ut Christus disertè dixit, qando respondit *Judæis* sciscitantibus, *Qid faciemus, ut opera Dei operemur?* Ergo Christianus qi ex Fide justificatur, ex Opere justificatur.

Solut. 1. *Solut.* 1. Novi Fidem esse opus Dei, qod eâdem po-
Eph. 1. 19, 20. tentiâ infinitâ, qæ Christum à mortuis suscitavit, operatur. Verùm Christi sententiam aliò spectasse autumo, & per opus Dei & Judæos & Christum voluisse, opus qod Deus exigit ab hominibus faciendum. Nihilominus meminisse oportet, Deum nos παρηκάζεσθαι, ut Apostolus
2 Cor. 5. 5. emphaticè loqitur, ad hoc ut fide ambulemus. Cæterùm dato, qòd ex opere hoc justificamur, non seqitur nos ex Operibus justificari.

Solut. 2. *Solut.* 2. Porrò qæstio Judæorum fuit insidiosa. Judæi
v. Joh 5. 45, 46. magistro suo *Mosi*, qem non intellexerunt, adhærere videri voluêre; in *Mose* fidere & gloriari visi sunt. Ad

opera

opera Legis relegari expectarunt, & tunc Magiſtro novo non opus habuêre: alioqi, ſi Chriſtus aliò illos divertiſſet, tunc illum deſerendi, & accuſandi etiam rationem juſtam ſe habituros putarunt. Chriſtus reſponſo appoſito illis os obturavit. Qia de Operibus qæſtio fuit, aptiſſimè reſpondit, Opus, qod tunc Deus à Judæis popoſcit, fuiſſe, ut in Chriſtum à Patre miſſum & obſignatum crederent, & hoc ſalvâ *Moſis* & Legis authoritate facere potuerunt. Qaſi dixiſſet, Qid qæritis de operibus? Fides in Chriſtum eſt opus Dei, Autonomaſticè ſcil. Qoniam verò Judæi pluris fecere Legis opera ritualia & carnalia, qàm moralia & ſpiritualia, innuit Fidem in Chriſtum fuiſſe τὸ ἔργον, opus illud neceſſarium, cujus ſtudioſos & gnavos operarios eſſe oportuit, cætera abſqe Fide in Chriſtum fuiſſe παέργα, vix operâ digna. B. *Paulus* naturam Fidei, qod vocatur opus Evangelicum, & novit, & meminit; nihilominus operibus Legis oppoſuit, de qibus mox fuſiùs agendum eſt.

Object. 2. Qidam verbum S. *Pauli*, ubi memorat Obedientiam Fidei, torqent: ut Juſtificationem ex operibus probent. Hoc modo arguunt: Si Chriſtianus ſuâ fide juſtificetur, tunc obedientiâ ſuâ juſtificatur, qia Fides includit in ſe Obedientiam, qod ex illâ Phraſi colligunt. *Object.* 2.

Reſponſ. At perperam hæc omnia arenæ funiculum faciendum congerunt. Apoſtolus bis hâc phraſi utitur, & utrobiqe loqitur de vocatione Gentium ad Fidem per Evangelii præconium. In Epiſtolæ procemio, ſe accepiſſe Apoſtolatus gratiam dicit, ut Doctor eſſet Gentium, & ad obedientiam fidei illas duceret. Sub finem Epiſtolæ dicit, Myſterium, à ſeculis ſilentio abditum, per præconium Jeſu Chriſti patefactum eſſe Gentibus omnibus ad Obedientiam Fidei. Notum eſt, *Fidem* crebrò ſignificare objectum Fidei, ſcilicet Evangelicam *Reſp.* Rom. 1. 5. & 16. 26. Gal. 1. 23. & 4. 23. Epheſ. 4. 5. Jud Ep. v. 3.

Doctrinam, qæ vocatur *una Fides.* Finis autem prædicandi Evangelium Gentibus omnibus fuit earum conversio, ut *Evangelio Domini nostri Jesu Christi obedirent. Hæc Obedientia Fidei, est obedientia Evangelio præstita, sicut † Obedientia Christi, est obedientia Christo præstita. Non inficiandum est Fidem justificantem, utì in *Abrahamo*, sic in omnibus *Abrahami* filiis esse Obedientiæ radicem. Verùm hæc verba Apostoli non eâ intentione prolata fuêre, ut fidem in seipsam includere obedientiam intelligeremus, nedum ut nos justificari obedientiâ nostrâ crederemus.

* 2 Thes. 1. 8.

† 2 Cor. 10. 4.

§ 16. *Qænam Opera S. Paulus à Justificatione peccatoris secludit; nempè omnia Legis cujuslibet.*

Hinc autem ducor expendere, qænam Opera Apostolus *Paulus* à Justificatione peccatoris secludat. Opera Legis nominat sæpè in Epistolis ad *Romanos*, & ad *Galatas:* Sed neqe cūm adversariis eisdem contendit, neqe qæstionem eandem utrobiqe tractat. Apud *Galatas* qæstio fuit, utrum peccatores ex Gentibus ad Fidem conversi, circumcisionem, & per consequentiam totam Legem *Mosaicam*, observare obligarentur ad Justificationem. Pseudodidascali Christi crucifixi Fidem non repudiarunt, sed Legis *Mosaicæ* observantiam illi adjecerunt, & Religionem ex lino & lanâ contexuerunt. Apostolus ex adverso ostendit, Judæos ipsos per Christi Mortem à Lege *Mosaicâ* fuisse redemptos, qatenus Lex illa sub maledictione homines detinuit; item à lege typicâ, qæ Christi Sacrificium præfiguravit, usqeadeo ut figurarum observantia post veritatem adimpletam esset Christi adventus & mortis realis abnegatio. Qodsi Judæi, per Christi mortem Legi essent mortui, & Lex ipsa, qasi chirographum antiqatum & abolitum, cruci Christi affixum esset, certè Ethnici sub Legis subjectionem non fuêre adigendi. Summatim, probat ex Scripturâ, Gentes perinde atqe Judæos esse per Fidem Christi *Abrahami* filios, & utrosqe unicâ viâ, scil. per Fidem

Fidem esse promissæ benedictionis, qæ Fœdere *Mosaico* fuit antiqior, hæredes, ideóqe per Fidem justificandos, & non ex Operibus Legis, ex qibus nulla caro justificari coram Deo potuit, aut poterit. Concludit ex Christo excidisse, qi fide in Christo non contenti, Legis subsidium ad Justificationem qæsiverunt.

Apostolus in Epistolâ ad *Romanos* rem habuit partim cum Judæis incredulis, qi Christum Legis esse finem non intelligentes, Legem *Mosaicam* in monte *Sinâ* datam, ad justitiam ex ejus observantiâ sufficere absqe ullo ad Christi Sacrificium respectu autumarunt, ex suâ ipsius Obedientiâ Legi præstitâ Justificationem qæsiverunt, & obedientiam alienam suâ vice præstitam, & Messiam pro illis crucifixum fastidierunt. Opinio etiam de Messiâ futuro nunqam humili & passuro, sed semper gloriâ seculari splendido, præconcepta, Christi crucifixi rejectionem promovit: partim etiam egit cum Christianis, qi fermentum Pharisaicum fiduciæ in suâ ipsorum justitiâ non ejecerant, sed ex operibus suis justificari ambiêre. Verùm hanc occasionem scribendi nactus qæstionem de peccatorum justificatione in latitudine amplissima agitat, & non modò adversarios sui populares refellit, sed prout fuit Gentium Apostolus, sed utrisqe debitor, Rom. 1. 24. Mysterium Evangelicum œconomiæ divinæ in humani generis peccato universim impliciti justificatione prolixè explicat. Qoniam autem præter Legem *Mosaicam* Lex fuit humano generi communis, qæ ab *Adamo* usqe ad *Mosem* regnavit, & totum mundum peccati reum peregit, & mortis fuit ministerium; ideò Lex, & legis opera, qibus Apostolus vim justificandi derogat, sed vim condemnandi tribuit, non est ad Legem *Mosaicam* restringenda, sed ad Legem Naturæ, qæ Conscientiis omnium inscripta est, qasi λείψανον Legis Operum, qam Deus *Adamo*, & humano generi toti in ejus lumbis latenti, tulit. Lex *Adami* primigenia, qæ est ejus posteris

ſteris congenita, principia pietatis & charitatis continet, qaſi ſemina virtutum omnium, qæ ratio recta operosè colens ex illis officia particularia deducit, qæ jam hominis lapſi conditioni præſenti accommodantur. *Adamo* à Deo luminum Patre deſciſcente conſcientiæ lumen obſcuratum eſt, ipſa ratio depravata eſt, & corruptio carnis augeſcens, legis hujus efficaciam ad vitæ regimen præpedit. Interea hujus Legiſlatoris & Judicis domeſtici, & intra cujuſqe præcordia ſedentis poteſtatem, & legis lumen Deus eouſqe conſervari voluit, ut humana ſocietas non funditus & univerſim deſtruatur, ideóqe homo nondum traditus ad νὸν ἀδόκιμον, & paſſiones viles diſcernere poſſit æqum ab iniqo, res honeſtas à
Rom. 1. 32. pudendis, & agnoſcat Dei δικαίωμα, *i. e.* inſtitutum juſtum de ſupplicio inferendo Legis naturalis tranſgreſſoribus in hâc vitâ, per calamitates συλλάτυς, per mortem immaturam, & poſt hanc vitam. Communis enim ſententia Gentium fuit, apud Inferos eſſe δικαστήριον bonis & malis paratum, qam partim ratio ex Providentiæ divinæ curſu collegit, partim Traditio ab *Adamo* traducta docuit. Vero etiam ſimilimum eſt, Deum qi Myſterium Salutis *Adamo* lapſo revelavit, & Religionis formam in cultu Dei externo inſtituit, etiam Legem cordi inſitam explicuiſſe, & eam in Statuta & Judicia ob humanæ ſocietatis regimen & tutelam latiùs diduxiſſe. Apoſtolus verò non tam Jus Gentium commune, qàm Legem primigeniam reſpexit, cui myſterium de Salute per Chriſtum fuit ſuperadventitium. Hæc Lex gentes Deo nondum confœderatas ſub officio retinuit, & peccati redarguit, & morti addixit. Ex hâc Lege nemo juſtificari potuit, neqe ex ejus operibus, qoniam omnes peccarunt, & opera pauca ſpecie tenus legi conformia, qæ qidam præſtiterunt, non fuêre ſatisfactoria pro Legis tranſgreſſionibus. Judæos autem Apoſtolus docet, ex Legis ſuæ operibus juſtificari ſe non poſſe, qoniam Lex operum in aperto fuit,

Fac

Fac hoc & vives, & Lex Fidei qæ in occulto latuit ſub legis ritualis typis ab illis non intellecta fuit, & Myſterium de Juſtitiâ Dei per Chriſtum in Evangelio clarè revelatum partim ob inſcitiam, partim ob ſuperbiam fuit ab incredulis Judæis repudiatum.

Cæterùm Apoſtolus ulterius progreditur, & *Abrahamum* ex operibus juſtificatum fuiſſe negat. *Abraham* Legem operum *Adamo* datam non implevit, ideóqe obedientiæ perfectæ præmium ex illo fœdere debitum non potuit poſtulare. At opera inſignia fecit, qæ Deo grata fuêre. E patriâ ſuâ in terram peregrinam proficiſci juſſus Deo morem geſſit. Deinde ſe & familiam ſuam circumcidere juſſus ilicò Deo paruit, & ſignum in carne tulit, qod fuit ſigillum juſtitiæ fidei, qam præputiatus habuit. Deniqe opus celeberrimum fuit *Abrahami* obedientia multis poſthæc annis Dei imperio præſtita, qando Deus conſilium arcanum fidei *Abrahami* ſinceritatem & conſtantiam probandi concepit, & mandatum de *Iſaaki* oblatione dedit, cui *Abraham* cum carne & ſanguine non conſulens, abſqe diſputatione aut murmuratione obtemperavit. *Abraham* nihilominùs, qi in ſe fuit ἀσεβὴς à peccatis ſuis non fuit liberatus Operibus ſuis, ſed Fide, qæ illi reputata fuit ad Juſtitiam. Qodſi *Abraham* fidelium pater, Deo jam confœderatus fœdere Evangelico, ex operibus, qæ * Fidei fuêre fructus non juſtificatus fuerit, tunc certiſſimè conſtat, Opera, non ſolùm ſub lege Naturæ & naturæ viribus facta, (utì vulgò loquuntur, qanqam ego ſpeciali Dei gratiâ lumina qædam virtutis effulſiſſe inter gentes exiſtimo) neqe etiam Legis *Moſaicæ* cæremonialis, aut Decalogi opera tantummodò, ſed etiam opera ſub Lege Gratiæ ex Fide in Chriſtum profecta ſecludit, ut homo ex illis neqeat abſolutionem à peccatis aſſeqi. Non negandum eſt, Chriſtianum non ſemper Evangelio dignè incedere, interdum Euchariſtiam indignè ſumere, &

* Heb. 11. 8, 17.

Χωρὶς δαίμονος ἀδεὶς ἀγαθός. *Vir bonus ſine Deo nullus*, Sen.

& in multis offendere. Qomodo ab horum peccatorum noxâ liberabitur? Numqid officii debiti præstatio delicta hæc compensatione diluet? Nemo Ecclesiæ Reformatæ hoc ausit asserere, Christi propitiatorio peccatorem semper indigere omnes fatebuntur. At qomodo Christianus Sacrificii vim expiatoriam sibi applicuerit? Num Opera vel in sese apta, vel à Deo instituta sunt ad hunc finem? *Paulus* hoc negat, & hoc esse Fidei absqe Operibus munus docet. Itaqe sub œconomiâ qâcunqe homo vixerit, si adversus Legem Dei, aut * Legem Christi, qam S. *Jacobus* vocat *Legem libertatis, perfectam, & regiam*, deliqerit, non ex Operibus, sed ex Fide justificandus est. Legem Charitatis Christus in Evangelium inseruit; testibus & S. *Paulo*, Rom. 13.8, 9, 10. & S. *Jacobo*, Jac. 2.8. Quodsi ex Legis hujus operibus nos justificari S. *Paulus* voluisset, certè vel excepisset hæc Opera, vel Charitati Justificationem tribuisset; maximè si verum esset, (qod qidam autumant) Fidei Justificationem non esse tribuendam per se, sed qatenus est animata Charitate, & omnibus aliis piis Virtutibus, nos ex æqo, vel etiam magis qàm Fide, justificari.

* Gal. 6. 2. Jac. 1. 25. & 2. 8, 12.

§ 13. *Justificatio professoris fidei, de qâ S. Jacobus disserit.* Jac. 2.14, &c.

Hactenus egi de Justificatione peccatoris, qem Lex violata ad pœnam reposcit, de qâ S. *Paulus* consultò & disertè differit. Pergo jam ad Justificationem Professoris Fidei, de qâ S. *Jacobus* dissertationem instituit. Christianorum omnium qi Conscientiæ suæ solatio ac paci consulunt, summopere interest seipsos probare, an sint in fide, & fidem suam explorare, ut cùm Deus illam probare forte an in fornace igneâ, advenerit, probata reperiatur. Homo animum suum miserè decipit, qi sibi aliqid esse videtur, qando est nihil. Magnus etiam deceptor Diabolus hominibus imponere conatur, obtrudendo illi Fidei, ut & aliarum virtutum, umbram inanem

nem, aut imaginem doloſam, qaſi monetam adulterinam, aut aurichalcum loco auri obryzi. Ut examen hoc rectè inſtituatur, duo diſpicienda ſunt, 1° Qid ſit reâpſe Fides ſalutifera. 2°. Utrum Profeſſor hâc fide prædi-tus ſit. Notiſſimum eſt in Eccleſiæ primordiis Diaboli miniſtros irrepſiſſe in Eccleſiam, qi Chriſtianis perſua-ſum irent, Evangelii notitiam nudam, aut creditionem ſterilem, ad ſalutem ſufficere, ideóqe non ſolicitos eſſe oportere de vitâ piâ, ſed ſibi parcere, aut placere, prout occaſio tulerit, licuiſſe. Hujus peſtis, aut carcinomatis ſerpentis ſenſim per eccleſiam contagem Apoſtoli qua-tuor ſuis epiſtolis ſiſtere & expurgare operam dederunt. S. *Jacobus* hunc errorem pietati exitialem fortiſſimè op-pugnavit, & Chriſtianos ad ſui explorationem ſedulam excitavit, & in examine direxit.

1°. Monet profeſſionem Fidei jactabundam non magis profeſſori prodeſſe, qàm Charitas verbo tenus fratrem ſubſidio reali indigum juvat.

2°. Docet meram Evangelii creditionem, cujuſmodi fidem Dæmonia habent, eámqe non fictam, qia parit formidinem, non ſufficere ad ſalutem.

3°. Aſſerit illam ſolummodò Fidem eſſe veram, vivi-dam, & ſalutiferam, qæ operum bonorum eſt ferax, & ex fructibus dignoſcitur; ſicut arboris ad frugem creatæ vita & perfectio ex fructibus oſtenditur.

4°. Hinc concludit Chriſtianum, cujus Fides in qæ-ſtionem adducitur, debere ex operibus ejus ſinceritatem & vivacitatem oſtendere. Doctrinam ſuam illuſtrat, & confirmat exemplis duobus; 1°. *Abrahami* Deus, qamvis ſit καρδιογνώστης, *Abrahamum* tamen tentare, ſive explorare voluit, utrum in fide illâ perſtiterit, qæ multis retrò annis illi reputata fuit ad juſtitiam. Hoc experimentum Deus fecit, partim ob *Abrahami* fidei augmentum, & con-firmationem, & conſolationem; partim ob poſterorum inſtitutionem multiplicem. Abraham *credidit in Deo,* Gen. 22. 1. Gen. 15. 6.

& hoc illi Deus reputavit ad juſtitiam, vel (ut Apoſtolus interpretatur) hæc Fides illi *reputata fuit ad Juſtitiam.* Credidit Deum ſemen benedictionis autorem toti mundo futurum illi daturum. Nato jam *Iſaako* & adulto, è qo Chriſtus oriundus fuit, Deus ut probaret *Abrahami* fidem de Chriſto naſcituro ex *Iſaaco*, mandavit *Abrahamum* hunc filium unigenitum & Chriſti προπάτορα manu propriâ mactare, & holocauſtum Deo offerre. *Abraham* ſtatim ſe accinxit ad opus, & profectus ad locum huic ſacrificio deſtinatum, fide filium *Iſaakum* obtulit, *i. e.* offerre cœpit, & voluit ſacrificium perficere, niſi Deus ipſe manum armatam & jugulo admotam cohibuiſſet. Fides perſuaſum ſibi habuit, Deum potuiſſe & voluiſſe *Iſaakum* è cineribus reſtituere, qem Deus ex corporibus qoad generandi vim emortuis excitaverat. Hoc voluit Apoſtolus, qando dixit, *Abrahamum Iſaakum* è mortuis in parabolâ recipiſſe. In hâc tentatione Patris *Abrahami* Fides Operibus cooperata fuit, voluntatem Deo parendi, & affectus naturales ſubigendi vires firmavit, & brachium roboravit uſqe ad actum extremum, & ſui vim vividam hoc obedientiæ actu, qaſi fructu proprio & tempeſtivè edito, manifeſtavit, & perfecta eſſe apparuit, ut Dei gratia ſufficiens perfici dicitur, qando ejus ſufficientia in hominis infirmitate, *h. e.* in hominem infirmum ſuſtentando manifeſtatur. Oblatio fuit opus Fidei, & ejus ſinceritatem & integritatem demonſtravit. Fides verò ſui exercitio ad ultimas vires firmitatem & robur ſuum auxit, qoniam Habenti, *i. e.* Utenti, dabitur. Hâc probatione feliciter peractâ, *Abrahami* fides ab omni ſuſpicione, vel hypocriſis, vel inconſtantiæ, liberata fuit, & *Abrahamus* ipſe hoc opere ex Fide profectò juſtificatus fuit, non à peccato, cujus in conſpectu Dei reus fuit, ſed ab inſimulatione omni de ejus Fidei profeſſione falsâ, vel deficientiâ. Perindè enim eſt utrum dicamus Fidem *Abrahami*, an *Abrahamum* fidelem operibus fuiſſe juſtifi-

Rom. 4. 5.

Heb. 11. 17. *Collatæ cum* Rom. 4 21. *Qod Deus jam fecerat, ab* Abrahamo *recognitum fuit fidei de futuro ſulcrum.*

2 Cor. 12. 9.

Mat. 13. 12. & 25. 29.

juſtificatum: Sicut Sapientia, Sanctitas & Juſtitia Dei, & Deus ipſe ſimul juſtificatur ab iniqis hominum judiciis, aut ſuſpicionibus de Dei ſapientiâ, *&c.* qando Deus ſapiens, ſanctus, & juſtus eſſe manifeſtatur. *Jacobus* addit Scripturam, *i. e.* Sententiam Dei antea prolatam, & in Scripturâ memoratam, hoc modo fuiſſe impletam. Sicut Fides *Abrahami* vera & indeficiens manifeſtata fuit; ſic Sententia Dei de illâ fide ſuam etiam retinuit veritatem & vim, & poſt hoc experimentum impleta fuit. Verùm notandum eſt *Jacobum* non dixiſſe, Hoc opus fuiſſe *Abrahamo* reputatum ad juſtitiam, ſed, utì *Paulus* hoc teſtimonium citavit, fidem illi reputatam ad juſtitiam. Deniqe hinc liqet *Jacobum* nos docere voluiſſe, non qâ ratione peccator à peccatorum reatu juſtificetur, ſed qomodo Chriſtiani Fides vera & ſalutifera eſſe probetur.

2°. Hoc etiam illuſtrat * exemplo *Rahabis*, qæ fuit *Canaanis* indigena, & excidio devota, ſed fide à gladio incolumis ſervata. Qæſtio oriri inter milites potuit, utrum *Rahabi* cum familiâ ſuâ parcendum eſſet, necne. Illa ſe fide Dei populo conjunctam ex internecione eximendam eſſe aſſeruit. At qomodo hoc conſtitit? Reſpondit ſe fidei ſuæ ſpecimen luculentum edidiſſe, qando exploratores cum vitæ ſuæ diſcrimine incolumes præſtitit. S. *Jacobus* jam ſatis probavit, Fidem veram & vivam oſtendendam eſſe ex operibus, qod in initio propoſuit: itaqe concluſit, ſicut corpus ſine ſpiritu, *i. e.* halitu, qi eſt in naribus noſtris (*Eſa.* 2. 22. *Pſal.* 146.4.) exeunte, expirato, & prorſus deficiente, eſt mortuum, cadaver in terram deciduum; ſic Fidem abſqe Operibus eſſe mortuam.

* *Hic etiam obſervanda eſt Analogia inter ſtatum externum* Rahabis, *qæ incolumis ſervata fuit ab internecione popularium (qod reverâ illi pignus fuit ſalutis æternæ) & ſtatum Chriſtianorum ſpiritualem.*

Hæc S. *Jacobi* expoſitio ſermonis ſcopo congruit, verbis vim nullam infert, & ἐναντιοφάνειαν inter S. Apoſtolorum duorum ſermones varios, neqe eâdem ex occaſione ortos, neqe eôdem ſpectantes, amolitur. Porrò recolendum

est, Deum servorum suorum Fidem & Constantiam in omnibus sæculis probare. Probat illos, ut metallarius
V. Psal. 66.10 aurum & argentum probat, per ignem & aqam, utrum
1 Pet. 1.7. & 4. 12. Fides illorum sit ἀνυπόκριτος. Quodsi perseverantiâ adhærendi Deo probata fuerit, fidelis meritò justificatur. Huc etiam spectat, qod Christus dixerit de arboris probatione, & bonæ à putridâ discriminatione, qando ex fructu arbor dignoscitur. Sermonis qualitas cordis, ex cujus exuberantiâ os loqitur, qalitatem indicat. Communicatio, qæ ad Dei gloriam & fratrum utilitatem conducit,
Mat. 12. 33-37. ostendit cor esse sale conditum. Communicatio putida cor putre prodit: Ex verbis igitur homo justificatur esse arbor à Deo plantata, qæ in æternum florebit in Paradiso, vel condemnatur esse diaboli germen, qod eradicatum in ignem projicietur inextinctum. Eôdem etiam
1 Joh. 3.7-10. recidit in S. *Joannis* discriminatio filii à Deo regeniti, & filii diaboli; qorum ille justus esse ostenditur ex justitiæ praxi, hic peccati servus, & diaboli filius atqe mancipium esse cognoscitur ex diaboli opera faciendo. Aliud est manifestatio filiationis: aliud est justificatio sive absolutio à peccato. Rationi igitur cujuslibet præjudicio non occupati obviam est discrimen inter has duas qæstiones; 1°. Utrum homo peccati reatu sit implicitus; &, si fuerit, qomodo absolvi potuerit: huic responsum est præsto, omnes peccarunt, sed qisqis in Christum crucifixum crediderit, ex fide justificabitur. 2°. Utrum Christianismi professor filius sit Dei per fidem, & hæres cœli: Responsio huic appositа est, Fidelis & filius Dei ex vitæ instituto secundum Evangelii canonem dignoscitur.

§ 18. *Justificatio hominis in casu singulari.*

Consideranda jam occurrit Justificatio hominis cujuspiam in casu aliqo singulari. Scriptura autem duos casus particulares, & eorum exempla insignia enarrat.

1. *Qæritur homo criminis*

1°. In casu primo qæstio est, utrum homo criminis specialis

ſpecialis cujuſdam inſimulatus ſit ſons, an inſons. Hæc fuit *Jobi* cauſſa. Accuſator fratrum, Satan, hunc eximiè pium virum inſimulavit ingenii ſordidi, & mercenarii, qaſi ſeipſum & munera Dei Deo ipſo magis diligeret, & tam proclivis eſſet in rebus adverſis Deo palam maledicere, qàm promptus fuit in rebus proſperis ſervire & benedicere. Deus illum Satanæ probandum tradidit, qi copiâ *Jobum* affligendi datâ, ad extremum uſqe lineæ terminum *Jobo* non pepercit, & in uno die opulentiſſimum principem, & liberorum nobilium familiâ ornatum, omnibus opibus & ſolatiis externis nudum deſtituit. Et qando patientiâ *Jobi* ejus conſilium fruſtratum fuit, malitiâ invictâ adhuc percitus, calumniâ iteratâ licentiam ſecundam *Jobi* perſonam percutiendi, ſed vitâ ſalvâ obtinuit. Hæc perſecutio & tentatio acrior priori fuit. *Jobo* à Satanâ flagellato hæc acceſſit infelicitas, qòd amici *Jobi*, qi perinde atqe *Job*, Deo non fuêre à conſiliis, qoniam *Jobum* præter curſum Providentiæ Divinæ ordinarium calamitatibus πληγαῖς undeqaqe oppreſſum viderunt, idcircò ſcelerum ſpecioſo ſanctitatis & juſtitiæ velo tectorum, & hypocriſis execrandæ reum eſſe cenſuerunt. *Job* reverâ peccatorum, qorum caro infirma non eſt exors, ſibi conſcius fuit, & immunditiem nativam faſſus fuit, & horum reſpectu, ſi Deus cum illo jure agere vellet, ſe juſtificari non potuiſſe agnovit, ideóqe Dei iram deprecatus fuit, miſericordiam imploravit,& ad Chriſtum Redemptorem oculos convertit. Cordis nihilominùs, & affectuum erga Deum integritatem, & vitæ irreprehenſibilis ſinceritatem ſuam aſſeruit, non modò coram hominibus, ſed etiam coram Deo; & Deum appellavit, ut ſuæ innocentiæ eſſet vindex. Tandem agone hoc peracto, Deus *Jobum* à Satanæ calumniis,& amicorum cenſuris iniqis vindicavit, & fidem atqe patientiam ejus invictas bonorum portione duplici remuneravit.

Specialis ſit ſons, necne. Caſus Jobi.

Job. 14. 4.

Job 9. 2, 3. & 10. 15.

V. Job 13. 15, 16. & 31. 6.

Job 42.

Par

David. Par fuit *Davidis* cauſſa. *Saul* maligno invidiæ ſpiritu percitus *Davidem* proditionis ſuſpectum habuit, & *Saulis* miniſtri aulici ſcintillas invidiæ atqe odiis ſuis ſuſurris, qaſi flabello, in flammam perſecutionis apertam ſuſcitarunt. *David* pænè oppreſſus ad Dei judicium perfugit, & Judicem mundi juſtum obteſtatus eſt cor ipſius ſcrutari, & in cauſſâ iſtâ ſecundum ejus integritatem cum ipſo agere. At alibi *David* peccatorum ſibi malè conſcius, apertorum & ſecretorum, juſtum Dei judicium deprecatur, & ad miſericordiæ aram refugit, neqe ex operibus ſuis juſtificari expectavit, ſed felicem illius ſortem prædicavit, cui Deus Juſtitiam reputare dignatur abſqe Operibus.

Pſal. 7. 3-8. & 26. 1, 2. & 43. 1.

Pſal. 19. 12. & 25. 7. & 143. 2. & 130. 3, 4.

Rom. 4 8.

Apoſtoli *Pauli* cauſſa non eſt omittenda, qoniam Apoſtolus doctrinæ de Juſtificatione ſuæ ſeipſum typum exhibuit illuſtriſſimum. Satan regno ſuo ubiqe Gentium Apoſtoli *Pauli*, qi collegis ſuis plus omnibus laboravit, præconio pænè ſubverſo ſuccurrere ſatagens, aſtutiâ ſuâ ſerpentinâ uſus fuit, ut Evangelii progreſſum & efficaciam præpediret. Seipſum igitur in Angelum lucis, & Satellites ſuos, Pſeudapoſtolos qoſdam, & operarios doloſos in Juſtitiæ miniſtros transformavit. Hos in Eccleſiis *Galatiæ* & *Corinthi* potiſſimùm ſubornavit, ut Apoſtolo *Paulo* litem duplicem intenderent, ad ipſius exiſtimationem atqe fidem labefactandam: Unam de *Pauli* Authoritate, & gratiâ Apoſtolicâ, alteram de œconomiæ ſuæ adminiſtratione. Hic autem criminis duplicis illum inſimularunt, partim de Verbo Dei malâ fide tractando, & ſuis inventionibus adulterando; partim de ſiniſtro animi reſpectu in Evangelio lucri ergò prædicando. Hiſce calumniis in unum congeſtis efficere ſperarunt, ut *Paulus* ἀδόκιμος haberetur, tanqam moneta pravi commatis, Cæſaris imagine & inſcriptione vel non omninò, vel falſariè ſignata, pro nummo illegitimo, παεχαραγμένω, vel adulterino rejiceretur. *Paulus* verò ſtratagematum

2 Cor. 11. 13, 14.

tagematum Satanæ gnarus zelo pio incaluit, & qia res non tam ſuâ, qam Domini Jeſu Chriſti interfuit, & Evangelium ipſum per ſua latera transfigendum fuit, hæc crimina cum modeſtiâ qidem venerandâ, ſed facundiâ etiam ſtupendâ, rationibus variis conglomeratis, qas ſingillatim repetere non eſt opus, diluit. Breviter vocationem ſuam ἀμέσως divinam, inſtitutionem cœleſtem, & ſuam ab hominibus independentiam abſolutam, cùm ratione Officii, tum ratione Doctrinæ, demonſtratione Spiritus aſtruxit. Porrò ſuam in muneris executione integritatem indelibatam ſtrenuè defendit. Uno verbo calumnias ambas à ſe amolitus fuit, qando ſe Verbum Dei non καπηλεύειν dixit, & argumentis multis oſtendit. Cauponari duo complectitur, 1°. Arte ſordidâ rem qæ ſtuariam facere. 2°. Inſtitorum more, vinum aqâ dilutum, vel pro vino vappam, venundare. *Paulus* verò Evangelium purum putum, Verbum Dei ἄδολον, ſe prædicaſſe aſſerit, & nil niſi animas Chriſto lucrandi conſilio, nulla ſui qæſtus ratione habitâ, labores & moleſtias omnes, ſubiiſſe oſtendit. Hujus εἰλικρινείας καὶ ἀδιαφθορίας, à turpis lucri cupidine, & ſacri Evangelii proſtitutione execrandâ remotiſſimæ, Apoſtolus *Paulus* non modò teſtem appellat Deum, ſed ad *Corinthiorum* illorum, qi malignitatis contage vel prorſus intaminati, vel leviter ſaltem imbuti fuere, conſcientiam provocat, qoniam hi ejus præconii αὐτόπται, & converſationis ἀντόπται fuerant, & Apoſtolatus *Paulini* non modò Miraculis innumeris obſignati, ſed etiam ſuâ ipſorum ad Fidem converſione confirmati, vim divinam experti fuerunt. Deniqe Apoſtolus adverſariorum ſpicula aſpidum veneno imbuta, qæ illæſus excepit, virulentiâ abſtersâ & veritate amentata in adverſariorum faciem brachio forti retorſit. Has B. Apoſtoli vindicias ſi qis Chriſtianus animo attento & pio perlegerit, non poterit non veritatis συγχαίρειν, & voluptate ſanctâ ſuaviter perfundi. Uſqeadeò S. *Paulus* in cauſsâ ſingulari iniqè accuſatus

2 Cor. 2. 17.

1 Cor. 13. 6.

accuſatus, ſeipſum juſtificat, & dum veritati litat, Evangelium ipſum tuetur.

Cæterùm qæſtio generis longè diverſi, eáqe duplex, de *Paulo* poteſt inſtitui, cui *Pauli* ipſius reſponſio eſt diſpicienda. 1°. Siqis *Paulum* rogaverit, utrum peccati ab *Adamo* ad omnes ſecundum carnem ab ipſo prognatos traducti ſit conſors, an exors, & utrum peccatum illud nativum non exùberaverit in concupiſcentiam pariendo, & delicta multa admiſerit, qæ iræ divinæ, & morti æternæ obnoxium reddiderint, hic confitentem habemus reum, qi peccati onere gravatus, de ſuâ captivitate involuntariâ cum mœrore maximo qeritur. Ante converſionem ſe fuiſſe peccatorum primum, *i. e.* præcipuum, ob ſuam blaſphemiam, contumeliam, & Ghriſti Chriſtianorúmqe perſeqendi rabiem. Poſt converſionem non magis ſe à peccatorum numero eximit, qàm coapoſtoli *Jacobus* & *Johannes*, qi ſe à peccatis, imò multis, non fuiſſe immunes humiliter & veraciter agnoverunt. *Paulus* perfectionem etiam in hâc vitâ apiſcibilem ſe nondum adeptum fuiſſe profitetur. Cum carnis reliqiis ſe conflictari, & corpus peccati ſubigere non parùm negotii moleſti ſibi fuiſſe ait.

Rom. 7. 7-24.
1 Tim. 1. 5. 13.
Jac. 3. 1.
1 Joh. 1. 8.
Phil. 3. 12, 13, 14.
1 Cor. 9. 27.

Siqidem igitur *Paulus* in ſe fuiſſe peccatorem ſe non deneget, ſciſcitemur jam à *Paulo*, qo pacto in conſpectu Dei juſtus eſſe, & juſtificari expectaverit. 1°. Zelum ſuum ob Legem, vel potiùs Traditiones Phariſaïcas, *Paulus* proculdubio nunqam coram Deo ad ſe juſtificandum obtenderit. * Ignorantia, qæ cauſſa fuit ob qam Judæi Chriſtum manibus ſceleſtis crucifixerunt, & *Paulus* Jeſum Chriſtum, ejúſqe nomini addictos, perſequtus fuit, & alii evangelii hoſtes & præcones, & profeſſores veritatis qaſi victimas Deo gratas mactarunt, hoſce omnes à ſanguine puros non reddidit: id ſolum efficit, qod miſericordiæ capaces reliqit, qapropter Ghriſtus in cruce oravit, *Pater condona illis: non enim norunt*

* Act. 3. 17. & 13. 27.
1 Cor. 2. 8.
Joh. 16. 2, 3.
Luc. 23. 34.

norunt qid faciunt. Neqe aliud voluit *Paulus*, cum ſcelerum ſuorum confeſſioni miſericordiæ divinæ agnitionem ſubjecit, aiens, *Sed miſericordiam inveni*, vel Deus mei miſertus fuit, qoniam ignorans feci in incredulitate. Qod miſericordiæ divinæ anſam præbuit, certè Juſtificationem à reatu non potuit impetrare. 2°. *Paulus* etſi ſibi nihili (ſcil. criminis) conſcius eſſet, poſt converſionem nimirùm,& potiſſimùm in officio ſuo defungendo, in hoc tamen ſe non juſtificatum fuiſſe dicit, 1 *Cor.* 4. 4. Etenim qod *David* olim à ſecretis peccatis ſibi veritus dixit, Delicta ſua qis novit? Idem *Paulus* de ſeipſo ſenſit. Deniqe *Paulus*, ſi ad Dei tribunal raperetur, cupiit * inveniri in Jeſu Chriſto, non habens ſuam juſtitiam qæ eſt ex Lege, ſed illam qæ eſt per fidem Chriſti, juſtitiam qæ ex Deo in Fide.

1 Tim. 1.13. *Rectè,ſcitéqe Pater dixit,Si* Petrus *qando magiſtrum ſuum negavit,* Pauli *habuiſſet malitiam*; *&* Paulus *qando Eccleſiam Chriſti perſequutus fuit,* Petri *habuiſſet ſcientiam, uterqe in Spiritum S. peccaſſet.*

* Phil. 3. 9.

2°. In caſu altero qæſtio eſt, utrum factum ſingulare, qod negari non potuit, juſtum ſit an iniqum. Hæc fuit *Phinehazi* cauſſa. Celebris eſt *Phinehazi* zelus, qi ferre non potuit impudicitiam inſolentem *Zimri*, Principis in tribu *Simeonis*, qi ſcortum ſuum *Cozbi*, filiam etiam Principis *Midianitæ*, in conſpectu totius congregationis, tunc ad Tabernaculi oſtium coram Domino proſtratæ, ad Dei iram ob mixturam populi cum *Moabitis* incenſam placandam, ad tentorium ſuum faſtuosè deduxit, qaſi gloriæ divinæ oculos provocare, & populi humiliationem in ludibrium vertere in animo haberet. Hoc ſpectaculum horrendum non percutit ſtupore, ſed inflammavit *Phinehazum* zelo ardente. Jaculum corripuit, ad tentorium *Zimri* perrexit, in penetral irrupit, & par inceſtum mutuis amplexibus implicitum brachio ſtrenuo, cui robur zelus addidit uno ictu per corpora, media transfodit. Populus ille indolis perverſæ, qi adverſus *Moſen* & *Aaronem* fremuit, qaſi illi Domini populum occidiſſent, qando Deus *Coram* cum conjuratoribus manu ſuâ immediatè perdidit, proculdubiò tunc Principis illius cognatis &

2. *De licito cujuſdam facto ſingulari qæritur* Phinehaz, Num. 25.

Num. 16.41.

clientibus incitantibus, *Phinehazum* voluit homicidii & tyrannidis affectatæ postulare, qòd Principem caussâ inauditâ manu suâ occidisset. *Phinehazi* factum ratione defendi potest. *Moses* enim dudum Dei jussu Judicibus mandatum dederat omnes *Baali Phegoris* adjunctos interimere sortis cujuscunqe. *Phinehaz* non fuit vir privatus, sed summi Sacerdotis filius maximus, & Judex. Flagitii autem recentis notorietas processus judicialis formam supervacaneam reddidit. Ideò *Psaltes* dixit, Phinehaz *exurrexit, & judicium exequtus fuit; & hoc illi reputatum fuit ad justitiam in secula seculorum.* Deus igitur *Phinehazum* ab omni iniqitate ratione hujus facti justificavit. Sacerdotem hunc nihilominùs oportuit Sacrificia pro peccatis suis, perinde atqe Populi, Deo offerre, à qibus justificatus fuit Fide in Christi sanguine. Pari modo Deus servorum suorum res administrat, ut sæpè etiam in hoc seculo calumniis impetitos, & iniqè condemnatos vindicet, & eorum justitiam velut lucem, & judicium tanqam meridiem proferat.

Num. 25. 5.

Psal. 106. 30, 31.

Psal. 37. 5, 6.

Qodqot igitur hanc historiam torqent ad justificationem peccatoris ex operibus probandam, verbo Dei non minùs abutuntur, qàm κακόζηλοι illi, qi privatæ sortis viri publica judicia exeqi præsumunt, & *Phinehazi* factum in exemplum, & scelerum nefandorum patrocinium trahunt.

§ 19. *Justificatio totius gentis Judaicæ, cui Christianorum justificatio correspondet.*

Restat deniqe Justificatio totius populi Dei, gentis nimirùm Judaicæ, qæ silentio non est prætereunda, qoniam illam Christianorum justificationi Scriptura accommodat, secundùm analogiam superius memoratam. Deus populum suum vitiis omne genus pollutum, & præcipuè Idololatriis variis inqinatum, judicii & incendii spiritu purgare statuit, & eo fine *Chaldæis*, qi Civitatem sanctam & Templum à Judæis polluta incendio vastarunt, in captivitatem annorum 70 tradidit. Non idem fuit Dei, & hostium populi Dei consilium, in hâc judicii divini exequtione; neqe eadem utrorumqe de populo Judæo

Judæo ſententia. *Senacherib* verum ſed imprudens dixit, qando ſe miſſum à * Jehovah, & Domino duce adverſus terram *Judæam* veniſſe ut illam perderet, fidenter aſſeruit. Sed rationem miſſionis non intellexit. *Hezekiam* Deum offendiſſe putavit, qando altaria idololatrica per terram paſſim erecta demolitus fuit, & cultum Dei ad Templum unum in *Hieroſolymis* reduxit. Deus autem miſit *Aſſyrium* ad terram vaſtandam, qia altaribus illis polluta fuerat, ſed Civitatem atqe Templum ob religionem ibi inſtauratam defendit. *Nebuchadnezzar* pari modo non intendit populum propter Dei veri nominis, & rerum ſacrarum profanationem, punire, ſed qoniam ipſe Idolis fuit mancipatus, & veri Dei cultum odio habuit, ideò Templum diripuit, & flammis abſumpſit, & civitatem vaſtavit, & populum, exceptâ plebis fæce, vel gladio percuſſit, vel captivos ad *Babylonem* deduxit, eo conſilio nimirùm, ut Jehovah Dei *Iſraëlis* cultum funditus extirparet. Deus autem Nomen ſuum ſanctificare voluit, cultum ſuum, qi gentibus ludibrio fuit habitus, decori priſtino reſtituere, & populum ſuum, qi execrationi fuit exteris, ad terram ſuam reduces ferre. Itaqe in tempore præſtituto populum ſuum ab Idololatriâ purgatum, & ex parte aliqâ reformatum, à captivitate liberavit, cum Juſtitiæ & Salutis ſuæ (ut † Vates ſæpè loquntur) demonſtratione adeò ſtupendâ, ut Gentes Judæis inimicæ ingratiis fateri cogerentur, hunc populum Deo dilectum fuiſſe. Hoc modo vaticinium *Eſaiæ* fuit impletum, *In Jehovah omne ſemen Iſraëlis juſtificabitur, & gloriabitur.* Hunc locum S. *Paulus* proculdubio reſpexit, 1 *Cor.* 1. 30, 32. Hæc etiam ſalus fuit ſalutis æternæ ſervis Dei reformatis procœmium, ut *Eſaias* diſertè teſtatur, *Eſa.* 45. 17.

2 Reg. 18. 25. v. 22.

* *Notandum eſt, hoc nomen Tetragrammon fuiſſe Nomen proprium Dei Iſraelis, qo Deus verus dignoſci ſe voluit à diis gentium*, v. Exod. 5. 1, 2, 3. & 15. 2, 3. Deut. 28. 58. 1 Reg. 18. 21. Pſa. 38. *Lege* Ezek. 36. 16-28. *Hoc nomen à Judæis Templo ſtante fuiſſe pronuntiatum, & poſt reditum durante Spiritu prophetico clarè liqet, & exteris fuit cognitum. V.* Ezr. 1. 2, 3. *Item* 2 Reg. 18. 22, 25. 30, 32, 33. *ubi* Rabſhakeh Hebraico ſermone utens, *Jehovah Dîis Gentium opponit.*

† Eſa 59. 16. Eſa 45. 25.

Porrò duo parallela potiſſimùm ſunt obſervatione digna. Populus *Iſraëlis* fuit idea Eccleſiæ, & Deus in illius regimine Eccleſiæ adminiſtrationem obumbravit.

Qod ad rem noſtram attinet, œconomiæ puritas eſt conſpicua.

1°. Deus in primâ politiæ conſtitutione ſemen Iſraëlis in populum ſibi peculiarem adſcivit, ex ſervitute *Ægyptiacâ* liberavit, gratis dilexit, è gentibus elegit, à gentibus ſeparavit, non ob aliqam præ cæteris excellentiam propriam, qæ tanti favoris fuerat illex, ſed propter ſœdus gratiæ, qod cum *Abrahamo* per Chriſtum pepigit. Neqe ob iplorum juſtitiam (populus enim fuerat rebellis) in *Canaanis* hæreditatem, incolis ejectis, introduxit. Deus hoc repetitum urget, ut altiùs animis eorum imprimat. Deniqe ex Captivitate *Babyloniâ* in terram ſuam non ob eorum Juſtitiam, ſed ob nomen ſuum, & ſuâ ipſius gratiâ eorum peccata delevit, *h. e.* ſecundum dialectum *N. T.* propter gloriam ſuæ gratiæ. Neqe enim ex ſuis operibus juſtificari potuerunt, ut Deus diſertè dicit. Et alibi ait, *Juſtitia eorum eſt à me*, qocirca neqe telum adverſus illos formatum proſperum erit, neqe lingua exurgens judicio eos condemnabit. Vates idem in perſonâ Chriſti, & Eccleſiæ junctim, ait; *Propè eſt qi me juſtificat.* Siſtamus ſimul. Qis adverſus me cauſam aget? mihi appropinqet. Ecce Deus meus me juvabit. *Qis eſt me condemnaturus?* Qis jam non clarè perſpicit B. *Paulum* in argumento de Juſtificatione peccatorum, ſed à Deo electorum, & per Chriſtum redemtorum, omnia hæc Chriſtianæ Eccleſiæ applicuiſſe, neqe vaticinia hæc ad rem alienam, qam Spiritus S. nunqam intendit, Apoſtolum vi traxiſſe ſine blaſphemiâ dici poteſt. *Danielis* precem, qam omiſi, in memoriam revocatam Lectori commendabo. Tempore Redemptionis appetente, Deum hoc modo obſecrat promiſſum præſtare, *Non offerimus ſupplicationes noſtras coram te propter noſtram juſtitiam, ſed tuas magnas miſerationes. Domine audi, Domine condona, ne protelato, ob tuum ipſius nomen.* Veriſſimè igitur Apoſtolus Juſtitiam Dei,

Deut. 7. 6, 7, 8.

Deut. 9. 4, 5, 6.

Eſa. 43, 21, 25, 26.

Eſa. 54. 17.

Eſa 50. 8, 9.

Rom. 3. 21-24. & 8. 33, 34.

Dan. 9. 18, 19. Conf. Mic. 7. 9

Dei, qàm ſignanter Prophetæ vocant, & Apoſtolus interpretatur eſſe Juſtitiam Fidei abſqe Operibus, à Prophetis atteſtari dixit.

2°. Analogia altera priori affinis notatu digna eſt. Populus vendiderat ſe ad peccandum, (ut de (a) *Achazo* dicitur) (b) vendiderat ſe nihili, (c) (opera enim carnis & tenebrarum ſunt opera infructuoſa) & (d) ob iniqitates ſuas ſe vendiderat: ſive provocavit Deum illos (e) vendere in manus hoſtium. Deus verò illorum miſertus, redemit è manibus hoſtium (f) ſine pecunia. *Cyri* uncti ſui Deus cor excitavit, ut *Chaldæo* imperio everſo, omnes *Chaldæos* Judæorum dominos mancipia ſua gratis manumittere juberet, & Judæis omnibus edicto publico libertatem, & ad terram ſuam redeundi commeatum proclamavit. Hoc modo evenit, ut gens Judæa ſine qadrantis unius impendio in libertatem aſſererentur. Pari modo per peccata in Satanæ ſervitutem Dei juſto judicio venditi ſuimus. Licet autem Chriſti ſanguine redimamur, qod ad nos tamen ſpectat, gratiâ & gratis redimimur. Hinc Apoſtolus concludit nos juſtificari abſqe operibus.

a 1 Reg. 21. 20.
b Eſa. 52. 3.
c Epheſ. 5. 11.
Rom. 6. 21.
d Eſa. 50. 1.
e Jud. 2. 14.
f Eſa. 45. 1, 13.
Ezr. 1. 1, 2, 3.

Illos igitur, qi nos ex operibus juſtificari aſſerunt, & audacter aiunt Chriſtum nuſqam prohibere fiduciam in operibus noſtris, ſeriò perpendere moneo, annon Sagitta Chriſti collimata adverſus illos qi in ſeipſis confiſi fuere, qòd juſti fuere, ſcil. per opera ſua, (ut Phariſæus in Parabolâ opera ſua recenſet, & ſuam innocentiam jactat) hoſce doctores feriat. Chriſtus ſuam parabolam claudit hâc ſententiâ, qod humilis peccatorum confeſſio cum miſericordiæ divinæ imploratione, qæ omnem gloriationem excludit, tutior & certior eſt ad juſtificationem via, qàm in operibus noſtris fiducia, qæ ſuperbiæ eſt radix. Vobis dico, inqit Chriſtus, Publicanus ad domum ſuam à templo deſcendit, δεδικαιωμένος ἢ ἐκεῖνος juſtificatus potiùs, qàm ille Phariſæus. Verba paria ſunt verbis

Luc. 18. 9-14.

Judæ,

Judæ, qi, poſtqam nurum *Thamarem* judicio temerario ad vivicomburium addixerat, flagitii ſui convictus dixit, ſecundùm LXX, Δεδικαίωται Θάμαρ ἢ ἐγώ.

§ 20. *Doctrina de Juſtitiâ Fidei abſqe Operibus Legis, non deſtruit Legem.* Rom. 10. 2, 3.

Juſtificationem jam omnimodam, cujus in Scripturis S. ſit mentio, ſecundùm inſtitutum meum, expendi. Diatribam hanc claudam explicando reſponſionem Apoſtoli *Pauli*, cujus veſtigia premo, objectioni datam Apoſtolus cum Judæis, qi zelum Dei & Legis habuere, ſed non ſecundùm ſcientiam, & Dei juſtitiæ (*i. e.* rationis ſive viæ qâ Deus peccatores per fidem in Chriſtum crucifixum juſtificat) ignari, doctrinam Evangelicam reſpuerunt, utpote qæ Legi *Moſis* adverſari illis viſa eſſet. Itaqe illorum objectionem occupavit. Numqid igitur, inqit, Legem irritam facimus per fidem? (ſcil. qâ juſtificamur abſqe operibus Legis.) Abſit! Immò Legem ſtabilimus. Dictio eſt conciſa. Innuit Apoſtolum reverentiâ ſummâ, & honore perpetuo Dei Legem habuiſſe digniſſimam, & omnem illam imminuendi cogitatum deteſtatum fuiſſe. Porrò ſe, & ſuos in Evangelii præconio coöperarios, doctrinâ prædictâ Legem ſtabiliſſe aſſerit. At qomodo Lex per Fidem ſtabilita ſit, Apoſtolus non explicat. Hoc igitur ex ſermone præmiſſo Lectorem attentum oportet colligere. Ratione igitur veritatem, Deo juvante, conabor eruere. Qoniam autem *Lex* eſt vox πολύσημος, & prægnans eſt ſenſuum plurium in hâc diſſertatione, ſecundùm varias Leges, vel Legis partes, varios modos proponam, qibus Fides Legem ſtabilire dicatur.

1. *Non Legem* Adami *corai inſitam, & in S. Scripturâ expoſitam.* Mat. 22. 35-40. *V.* Mat. 5. 17. & 7. 12.

1° Si per Legem intelligenda ſit Lex illa primigenia, qæ toti generi humano communis eſt, & è mandatis duobus primariis conſtat, de diligendo Deum & proximum, à qibus tota Lex & Prophetæ pendent, doctrina Evangelica illius vim obligatoriam non laxat, ſed arctius ſtringit. Lex Fidei Legem Charitatis roborat, & plenariam præceptorum potentiam tuetur. 2°. Si

2°. Si Sanctio *Legis* operum, qâ transgressor maledictioni & morti fit obnoxius, spectetur, ejus vis stabilitur, qoniam Deus peccata non remittit, nisi peccatoris nomine Christus justitiæ divinæ satisfecerit. Qicunqe verò fide Jesu Christi crucifixi illius satisfactionis non est compos, sub Legis maledicto jacet. Etsi ergo Lex, propter carnis peccatricis defectum justitiæ, justificandi potentiam amiserit, attamen condemnandi vim retinet, qam omnes Christo fide non insiti, suo dolore certò experientur. 2. *Non sanctionem Legis Operum. Hoc Apostolum intendisse potissimum arbitror.* Rom. 8. 3.

3°. Si per Legem intelligatur sive tota Scripturarum veterum Judæorum fidei commissarum compages, vel *Mosis* Pentateuchum, prout à Prophetis distinguitur, (Apostolus enim in utroqe sensu Legis nomine utitur) hæc Doctrina Evangelica Scripturarum testimoniis confirmatur, qia illis consonat, non repugnat, & legi lucem superfundit, ut utriusqe veritas magis ἀξιώπιστος appareat. 3. *Non Legem, prout* V. T. *Scripturas significat.* Rom. 3. 19, 21. Gal. 4. 21.

4°. Deniqe si de Lege *Mosaïcâ* agatur, qæ genti *Judææ* fuit peculiaris, & Politiæ illius atqe Sacerdotio qoad durationem commensurata, Lex Fidei, qæ Ecclesiæ Catholicæ est coætanea ab initio usqe ad periodum in mundi consummatione, & *Abrahamo* per modum fœderis multis ante Legem *Mosaïcam* seculis fuit data, neqe per Legem *Mosis* super adventitiam fuit abrogata, neqe illam, qæ Dei ordinatione finem in tempore præstituto habitura fuit, destruxit. Cæterùm Legis *Mosaïcæ* pars non modò glorioßissima, sed etiam respectu Christi & Evangelii illâ adumbratorum præstantissima, fuit Lex de Sacerdotio & cultu Dei Templo affixo. Hæc fuit umbra bonorum futurorum, cujus corpus fuit Christus, & res Christi; & pædagogia fuit ad Christum; & Christus hujus Legis finis fuit ad Justitiam omni credenti, etiam Judæo sub illâ œconomiâ dẽgenti, perinde atqe gentili. Christus enim Jesus heri fuit, & hodie est, & in secula erit idem Dominus Justitia nostra, & ejus mors profuit anteqam fuit. 4. *Non Legem Mosaicam.* Gal. 3. 17. Heb. 9. 10. Heb. 10. 1. Col. 2. 17. Gal. 3. 24. Rom. 10. 4. Heb. 13. 8.

Qando

Rom. 3. 25. Heb 9. 15. Dan. 9. 24. 2 Cor. 3. 6, 8, 9, 17.

Qando Sacrificio suiipsius propitiationem fecit pro iniqitatibus, & transgressionibus etiam præteritis sub fœdere *Mosaïco*, & Justitiam æternam introduxit, Legem non destruxit, sed implevit. Christus fuit Spiritus vivificans Legis, qam Apostolus vocat *Literam occidentem*, qoniam Lex qoad externam literam fuit ministerium condemnationis, sed Christus est nobis Justitia, & Evangelium est ministerium Justitiæ. Fides etiam in Christum venturum Spiritum vel Legi infudit, vel potiùs ex Lege hausit, ut Judæus spiritualis per fidem promissionis justificaretur. Hâc ratione Fides Legem non irritam facit, sed stabilit.

EPILOGUS.

NUnc opus exegi Sacræ Scripturæ columnam lucidam insequtus, & Dei gratiâ adjutus, Doctrinam de Justificatione auro pretiosiorem, & perenniorem, delineavi. Ad studii etiam mei metam properans, hanc veritatis lampadem posteris trado.

Deo, Patri luminum; Verbo, Deo in carne manifesto, qi est Dominus Justitia nostra; & Spiritui Sancto, Ecclesiæ Ductori, in omnem veritatem nobiscum permanenti; Deo Trin-uni Benedicto in secula seculorum sit Gloria. Amen.

Appendix ad Sectionem 17.

Aliud est Justificari, sive à peccati mortisqe reatu liberari; aliud est Justificationis nostræ τὴν πλησφορίαν assequi. Justificationis sub Evangelio unica est via, per fidem Jesu Christi. At qi Fide justificatur, & pacem habet cum Deo, fortè solicitus est de Justificationis suæ certitudine. Hæc acquiritur, si homo fidei suæ sinceritatem, & vivacitatem dignoscat. Qomodo jam Christianus suæ fidei vitam & salutiferam vim certò cognoscet? Nimirùm Fidei vividæ fructibus, Obedientiâ & Patientiâ. Hos si Christianus sibi adesse perspexerit, tutò concludere poterit, se Fide verâ præditum esse, & hoc posito se justificari. Fidelis igitur à Deo non justificatur à peccatis ex operibus, (utì qidam autumant, & docent) uti signis Fidei justificæ: sed ipse certus fit suæ Fidei ex fructibus, & Justificationis qæ ex illa inseparabiliter pendet. Hoc addidi ad rei sub manibus dilucidam explicationem, qod Dei probatione *Abrahami* cuivis rationi obvium est.

FINIS.